

5,8.23

SIMONIS OCKLEII

INTRODUCTIO

A D

Linguas Orientales.

IN QUA

Iis diſcendis via munitur,

E T

Earum Uſus oſtenditur.

ACCEDIT

INDEX AUCTORUM,

Tam illorum, quorum in hoc libello mentio fit, quam aliorum, qui harum rerum ſtudioſis uſui eſſe poſſint.

Τὸ παλαιὸν χρηστότερόν ἐστι.



CANTABRIGIÆ:

TYPIS ACADEMICIS.

MDCCVI.

Impenſis JOANNIS OWENI Typographi.

REVERENDO ADMODUM
IN
CHRISTO PATRI

SYMONI,

Permissione DIVINA

EPISCOPO ELIENSI.

Cum de edendis, Reverende Pater, his studiorum meorum Primitiis cogitarem; licet beneficia Tua in me collata grato animo recolerem, non ausus tamen fuissem eas tanto Patrono dicare, nisi prius impetrata venia. Et-

ſi enim Linguarum Orientalium ſtudium ſummorum virorum curam mereatur; cum mecum reputarem, quam impar eſſem cuiquam ſcribendo, quod Tuo conſpectu dignum eſſet, veritus ſum, ne arrogantiæ crimen incurrerem. Anxium & ancipitem erexit eximius ille candor, quo ſtudioſæ Juventutis honeſtos conatus, utcunque imperfectos, excipere ſoles. Fælicem me, qui, dum alii auctores miſere ſe torquent, & omnes ingenii ſui vires exerunt, ut aliquod Elogium comminiſcantur, quo Patronos ſuos ornare queant, iſtiuſmodi Patronum ſim, nactus de quo, abſque

que minima adulationis ſuſpicione, ſumma tuto prædicari poſſint. Summa inquam: omnia enim alia, utcunque laude digna, veræ pietati & humani generis ſalutem propagandi indefeſſo ſtudio ſaltem ſecunda ſunt: Hæc autem Tibi ab ineunte ætate fuiſſe propria, ipſa fatebitur invidia. Idcirco, hoc qualecumque munuſculum gratum tibi fore confido, non quod, quæ in illo præſtiti, illud mereantur, (quod minime mihi adrogare auſim,) ſed quod de Eccleſia & Republica literaria bene merendi ſtudio inchoatum ſit & perfectum. Cui quantum conferat Linguæ Hebrææ co-

gnitio, lubentes fatebuntur qui erudita illa Commentaria, quibus Sacram Paginam indies illustrare pergis, semel inspexerunt. Ad quorum utilitatem plenius ac melius percipiendam, hæc, quæ nunc edimus, nonnihil conferre posse speramus; quæ si benigno vultu accipere non dedignatus fueris, calcar addetur industriæ meæ, ut acrius & diligentius iis studiis invigilem, quibus Dei Gloriam & Ecclesiæ commodum promovere possim.

Paternitati Vestræ

Obsequentissimus Filius

SIMON OCKLEIUS.

JUVENTUTI ACADEMICÆ
S.

Dolendum est omnino, Juvenes exoptatissimi, quod dum aliis literis tantopere invigiletis, in his, de quibus acturi sumus, patiamini vobis socordiam exprobrari: Orientalia inquam studia, sine quorum aliquali saltem peritia, nemo unquam in Theologia vere magnus evasit, imo nunquam evasurus est. Cum enim omnis Theologiæ cognitio in hoc cardine versetur, ut S. Scripturæ verum & genuinum sensum eruere possimus, fieri autem nequeat, ut alicujus Auctoris mentem exploratam habeamus, nisi aliquam ejus, qua scripsit, Linguæ cognitionem adipiscamur; necessario sequitur, illi, qui Sacras Scripturas, quemadmodum debet, examinare & intelligere velit, opus esse, ut Hebræam Linguam, qua scriptæ sunt, habeat perspectam. Necesse erit alioquin, ut alienis oculis fidem habeat, quibus tuto credi non posse, omnis eruditorum consonat experientia, omnia in Versionibus admissa menda plane loquuntur. Cum tamen de hac re

in secundo capite fusius disseruerim, nolo quæ illic scripsi, hic repetere. Nolite credere harum literarum Pomoeria adeo esse angusta, ut solis Theologis fructum afferant, aliis vero nihil prosint; cum certum sit, multa ex iis hauriri posse, quæ cuivis bonarum literarum studioso utilia essent & jucunda. Nam ut alias Linguas Orientales taceam (eas quoque non contemnendas, sed proprio fructu & utilitate gaudentes) sola Arabica eos Thesauros in se continet, qui quemvis ad ejus studium invitare possint. Quota enim rerum Orientalium pars nobis innotuit? cum interim habeant Nobilissimos Historicos, ex quibus ea fæliciter erui possint, quæ alias frustra quæremus. Nec solos Historicos habent, sed & alia quamplurima, quibus res literaria multum augeri possit. Quod plurimis exemplis comprobare potui, nisi Doctissimorum virorum de hac re scripta, istum laborem reddidissent supervacaneum. Putabunt forsan nonnulli, me eodem nomine à scribendo abstinere potuisse: at injuria. Cum enim mecum reputarem, quam sinistram de his literis opinionem plurimi conceperint, quod earum ignari sint; ni-

nihil omittendum duxi, quo vos ad eas excolendas incitarem. Quod nulla alia ratione melius fieri posse mihi persuasi, quam si planam ac facilem eas discendi methodum docerem. Me quoque miserebat illorum, qui magistro destituti hæc studia aggrediuntur, qui sæpe frustra laborant, & quod studendi methodum, & qui libri legendi sint, & quo ordine ignorent, illud pluribus mensibus ægre assequuntur, quod alias paucis diebus superari posset. Hoc itaque egi, ut quæ in legendo observaram & ex eruditorum virorum colloquio hauseram, vobiscum communicarem, quibus animi vestri ad hæc studia aggredienda erigi possint & labor imminui. Methodum itaque planam & facillimam docui; insigniores auctores indigitavi, quo denique ordine legendi sint, monstravi, ut nihil jam deesse videatur, nisi industria vestra.

Pudeat nos, gentem per universum Terrarum orbem literarum studio claram, tam paucos habere, qui his studiis sedulo operam navent. Vos autem, quibus Theologica studia curæ sunt, oro atque obtestor, ut has literas excolatis. Rem enim habetis cum Hæreticis &

 Schis-

Schismaticis nostris, disputaci hominum genere & importuno, ad quorum pertinaciam frangendam & retundendam arrogantiam, nihil æque confert ac Linguarum accurata cognitio. Neque homini Christiano negligenda est illorum conversio, qui jam per multa secula in Mohammedanismi tenebris plus quam Cimmeriis errant, quam non esse desperandam, mecum agnoscet qui viri Amplissimi Pauli Ricautii Historiam Turcicam *legerit, vel etiam* Hinckelmanni *in* Alcoranum *Præfationem, qui sua ex* Ricautio *desumpsit. Sentient forsan nonnulli operam in his rebus frustra fore collocandam; tum quod experti sint quam arduum sit, homines quoscunque ab istis præjudiciis, quæ à teneris unguiculis, &, ut ita dicam, una cum materno lacte imbiberunt, revocare; tum quod audiverint Mohammedanos disquisitionum Religiosarum, esse impatientissimos. Aliter senserunt viri omni exceptione majores: nam neque magnus* Grotius *argumenta, quæ in Libro* De Veritate Religionis Christianæ *continentur, Lingua & Rythmis Belgicis concepisset, ut eo facilius nautæ ad has*

oras

oras appellentes haberent quæ ad convincendos infideles essent idonea, nisi sperasset, exinde aliquem posse oriri fructum. Neque vir ille insignis Boylæus *nostras, tam morum probitate & vitæ Sanctimonia, quam eruditione Clarus, eundem librum propriis sumptibus Arabice verti, & in plagas Orientales mitti curasset; Neque Clarissimus* Pocockius, *qui harum Gentium & Linguas & Mores bene habuit perspectos, operam in isto libro Arabice vertendo inutiliter impendisset. Ut alios taceam, statuerat* Whelocus *nostras Alcoranum Arabicum edere cum notis Arabicis & Græcis, in quibus Muhammedis Pseudoprophetæ mendacia & ineptias arguere & refutare destinarat; quinetiam* Seamannus *nostras, qui in istis regionibus diu degerat, N. T. Turcice vertit. Hinc patet, Viros tam pietate quam literis claros hoc consilium probasse. Neque nos deterrere debet quod videamus Missionarios Romanenses in his Regionibus nonnunquam minus humaniter exceptos; duo enim sunt quæ illorum in propagando apud exteros Evangelio successibus quam maxime obstant; primum, quod ubicunque incide-*

rint in aliquos (utcunque Christianos) à se dissentientes, sive ad Ecclesiam Græcam pertinentes, sive ad illos, quos Protestantes *vocant, adeo misere in illos sæviunt, tot machinis & fraudibus illos aggrediuntur, ut non solum religionis, quam profitentur, sinceritatem infidelibus suspectam reddant, verum etiam humanitatem suam. Secundum, quod dum viam ad æternam salutem docere præ se ferunt, tot nugas & offucias sacræ Evangelii veritati immiscent, ut non magis difficile sit Mahumetanis sui Pseudoprophetæ tueri ineptias, quam ipsis, suas. Quam ob rem meritas pœnas dedit* Ahmedi Ebn Zin Alabedin, *Nobili Persæ,* Hieronymus Xaverius, *qui propter ineptias & fabulas, quas* Historiæ Christi *&* Speculo Veritatis *intertexuit, adeo acriter exceptus est ab illo Persa, ut* Philippus Guadagnolus (Ahmedis *libro, à Collegio de Propaganda Fide respondendo designatus,) eum expedire nequiverit. Hæc non obstant, quo minus nos fælicem in convertendis infidelibus speremus successum, à quibus in alios sævire, & in rebus sacris nugari, alienum est.*

Hæc

PRÆFATIO.

Hæc de his ſtudiis & inſtituti noſtri ratione breviter dicta ſunto, quod ſi quis me doctior hunc libellum inſpicere dignatus fuerit, illum oro, ut erroribus meis ignoſcat, & ſecum reputet, me non ſibi, ſed Tyronibus hujuſmodi ſubſidio deſtitutis ſcripſiſſe. Vos autem, Juvenes optimi, eas literas excolere pergite, quibus imbuti, Eccleſiæ olim & præſidio eſſe poſſitis & ornamento. Quod faxit Deus. Valete.

INDEX

INDEX Capitum.

Quo-

Index Capitum.

IN-

INTRODUCTIO AD Linguas Orientales.

CAP. I.

Qua Lingua usi sint Primi Homines non satis constare.

CUM de Hebræa lingua nonnulla differere, & qua ratione ac methodo, utilitates, quæ ex ejus studio proveniunt, possint attineri, explicare decreverim; operæ pretium me facturum existimavi, si de ejus Origine & Antiquitate, pro captus modulo, nonnulla præmitterem; in quo Argumento, me summa cum voluptate versari posse non diffiteor, modo suppeterent auxilia ad hanc rem plene discutiendam & illustrandam idonea, sed

cum iis prorsus destituamur, (certam enim derogavit vetustas fidem,) Argumentorum quæ utrinque proferuntur gustum lectori exhibebo, rem ipsam tanquam dubiam & adhuc inexploratam in medio relinquam.

De hac re apud Gentiles scriptores altum ubique silentium; neque, si aliquid scripsissent, admitti deberet, cum omnia illorum scripta Antiquitate Mosi cedant, & cum omnibus notum sit, quali fide res Judæorum, multis seculis recentiorum, retulerint *Trogus*, *Tacitus* aliique qui de hac re egerunt. Unicus igitur superest *Moses*, qui facem Nobis præferre potest; at ne ille quidem talem, quæ huic quæstioni tamdiu in tenebris delitescenti, satis lucis affundere possit; illius enim Linguæ, qua usi sunt primi homines, nuspiam meminit, aut, quæ fuerit, indigitavit; res Antediluvianorum strictim tangit; nam recensitis Patriarcharum nominibus, ad *Noachum* venit; Linguæ mutationis mentionem non fecit, nisi post diluvium cum conderetur Turris *Babel*.

Hinc plerique pro concesso sumunt, nullam Linguæ mutationem generi huma-

mano accidisse ante *Confusionem Babylonicam*, ac proinde *Noachum*, eadem cum *Adamo* dialecto locutum fuisse; de quo tamen dubitari posse, mecum facile agnoscet cordatus Lector, cum secum reputaverit, inter annum *Creationis* & *Diluvii*, intercessisse annos circiter MDCLVI. Quo spatio, longe lateque sparsum fuisse genus humanum, nemini dubium est; certum est etiam, plures ædificatas fuisse civitates, plura climata habitata; unde etiam sequetur, pro locorum distantia, cœli diversa temperie, & cibi quo alebantur genere, diversos quoque mores fuisse superinductos; novas etiam res quotidie inventas, quæ omnia in Linguarum mutatione, magni esse momenti, omnes fatentur: semper enim in fluxu sunt res humanæ, & longo temporis tractu sponte mutantur, etiam cum nullæ acciderint ipsis mutationis causæ extrinsecus allatæ; sic fert rerum humanarum omnium natura, quæ, eandem olim quam nunc rationem obtinuisse credenda est: jam vero videmus, Linguas *Gallicam* & *Anglicanam*, miras brevi tempore subiisse mutationes, cum tamen

neutra illarum gentium ab alia victa sit, quæ res linguæ mutationem inducere solet.

Neque verum est, quod aiunt nonnulli, has linguarum mutationes ex commercio cum aliis &c. solummodo esse ortas: nam licet non diffitendum sit, magnas inde in linguis oriri posse mutationes; esse tamen nonnullas, quæ huic causæ minime queant adscribi omnino agnoscendum est; quales sunt, quod antiqua, quæ adhuc retinemus vocabula, aliter, ac olim scribantur & pronuntientur; quod indies nonnullæ voces obsoletiores evadant, donec tandem prorsus ignorentur; quod novæ quotidie cudantur voces quæ nullam cum alia quavis Lingua affinitatem habent.

Hinc saltem hoc assecuti sumus, *viz.* non esse rem tam indubitatam quam putarunt nonnulli, *Noachum*, eadem cum *Adamo* Dialecto usum fuisse; nam quæ nonnulli comminiscuntur de egregia Dei Providentia, in Lingua Sancta inter *Sethi* & *Semi* fidelium *sc.* nepotes propaganda, hominum otio abutentium mera sunt deliria; non secus ac illorum somnia qui volunt *Linguam Sanctam*, *sc. Hebræam*,

bræam, à Beatis in Cœlo usurpatam fore: quæ omnia non minus ridicula sunt quam *Goropii Becani* sententia, qui statuit Linguam qua collocuti sunt *Deus* & *Adamus* fuisse *Teutonicam.*

Neque enim Deo curæ sunt istiusmodi nugæ; sed verentur isti Homines, ne minus honorifice de sacris literis sentire viderentur, nisi linguam qua scriptæ sunt hoc modo extollerent: omissis his, videamus utrum si concedatur, *Noachum*, eadem qua *Adamus* Dialecto usum fuisse, probari possit linguamHebræam esse omnium antiquissimam.

Gen. XIV, 1. Scribit *Moses*, universum genus humanum eadem dialecto, absque ulla pronuntiationis aut significationis discrimine, (hoc enim verba illius textus שפה אחד *saphah ehhad.* & דברים אחדים *devarim ahhadim* plane significant) usum fuisse; at quæ, vel qualis fuerit ista Dialectus, nullibi meminit; *R. Salomon Yarhhi* ad hunc locum diserte scribit לשין הקדש *Linguam Sanctam*, sive Hebræam fuisse qua usi sunt omnes ab *Adamo* usque ad confusionem *Babelis*; sed nullam rationem profert; idem cum *Salomone* sentit *Aben Ezra*; quod ne gra-

tis asserere videatur, ex significatione Propriorum nominum, viz. *Adam*, *Havvæ*, *Kain*, *Peleg*, adstruere conatur; sed horum Magistrorum nihil me movet auctoritas, neque quempiam cordatum movere potest, qui modo illorum scripta paulo penitius inspexit, non enim quod validis rationibus inducti sint, hoc affirmant, sed ut auctoritatem linguæ suæ conciliare possint, si modo admittatur, eam a mundi exordio, ab ipso usurpatam fuisse Deo.

Quod argumentum itaque *AbenEzræ* attinet a propriis nominibus desumptum, nihil omnino probat; unde enim novit *Mosem* hæc ex alia lingua non transtulisse; & propria nomina, non prout revera sonabant retulisse, sed per voces Hebraïcas, eandem significationem cum illis unde versæ sunt obtinentes, expressisse? Omnino verisimile est *Mosen*, cum Hebræa Dialecto suam Historiam scripsit, sui Lectoris rationem habuisse; quod nullatenus fecisset, nisi propria nomina vocibus significativis expressisset: nam cum Gen. III. 20. dicatur *Adamus nominasse Uxorem suam Havvam, quod esset Mater omnium viventium*;

um; hoc nihil eſt in Latino ſermone, neque enim nominis ratio apparet; dixiſſet Hiſtoricus, ſi Latine † ſcripſiſſet, & nominum rationem lectori ſuo patefactam voluiſſet, *Et vocavit Adamus uxorem ſuam, VIVAM, (vel ſimile quid) quod eſſet mater omnium VIVENTIUM.* Idem finge *Moſen* feciſſe, niſi aliunde probari poſſit Linguæ Hebrææ ſupra reliquas antiquitas.

Poſt confuſionem Babylonicam variæ ortæ ſunt Dialecti, ex ipſa nimirum pronuntiationis diverſitate; nam cum dicitur Deus confudiſſe ipſorum ſermonem, adeo ut à ſe invicem intelligi non poſſent, minime intelligendum eſſe cenſeo, quaſi Deus nova vocabula unicuique illorum ad ſenſus exprimendos inſpiraverit, (id enim eſſet valde abſurdum, & cujus contrarium abunde probari videtur ex linguarum quæ ex iſta confuſione, ortæ ſunt cognatione) ſed aliquo modo criſpationem linguæ mutaverit; forſan contrahendo ejus nervos vel aliter, adeo ut cum poſt iſtam confuſionem, eaſdem voces quibus olim uſi fuerant, pro-

† *Vide D. Waltoni Prolegomen. in Biblia Polyglott.*

ferre conarentur, non poterant tamen intelligi, præ pronuntiationis differentia; inde ſtatim nata tanta Linguarum ſeges quæ brevi tempore per univerſum terrarum orbem diſſeminata eſt; adeo ut ſingulæ fere nationes Lingua ſibi propria gauderent; inde ſtatim ortæ linguæ *Syriaca* ſive *Chaldaica*; *Arabica & Ægyptiaca*, quemadmodum ex Sacra Scriptura luculenter patet; *Syriacam* enim quod attinet, ejus exemplum habemus *Gen.* XXX. 47. ubi nominat *Laban Syrus* Lapidum acervum יגר סהדותא *Teghar ſahadutha*, *Cumulum Teſtimonii*, quæ plane Syriaca ſunt; Extat etiam exemplum Linguæ *Ægyptiacæ*, *Gen.* XLI. 45. ubi *Pharoh* nominavit *Joſephum* צפנת פענח: *Arabiſmi* autem exempla plurima extant in Libro *Job*, (quem Arabum Theologum vocat *Bibliander*) qui à nonnullis antiquior Pentateucho eſſe perhibetur, à pluribus ipſi † Moſi adſcribitur, ab omnibus valde antiquus eſſe affirmatur. Quinetiam Arabiſmi auctor eſſe perhibetur ירח בן יקדן *Yareahh Ben Yokdhan Eberi* nepos quem* قحطان

† *Vide de hac re Huet. Demonſtr. Evangel.*

* *Vid. Pocock Orat. Carmin. Tograi præfix. item Chronolog.*

يعرب

يعرب قحطن *Tarabum Kahhtani filium* nuncupant Arabes; unde hujus Dialecti antiquitas satis apparet.

Cum itaque tot Dialecti statim à confusione Babylonica pullularint, ægre dignosci possit, utra harum sit mater, an vero omnes sint germanæ sorores, quarum mater interiit, qui nodus adhuc restat expediendus.

Si modo constaret Linguam Hebræam *Hebero* fuisse vernaculam, (à quo eam & *Hebræos* nomen accepisse statuerunt nonnulli) non difficile probatu videtur eam esse omnium antiquissimam; hoc enim posito, sic argumentamur: inter *Noachum* & *Eber*, tres solummodo intercedunt, viz. *Salah*, *Arphaxad*, *Sem*, quos quoque eadem Lingua usos fuisse valde probabile videtur; neque enim credendum est, horum ullos, manum ædificandæ turri admovisse; ideoque nec pœnas tanta impietate dignas retulisse: idcirco non credendum est *Eberi* Linguam aliam fuisse ab illa qua locutus est *Noachus.*

Rursus, minime putandum est, ædi-

Sacram D. Ludovici Capelli Bibliis Polyglott Præfix. p. 5. *Golii Annotat. in Alfergan.* p. 3.

ficationem Turris Babylonicæ à *Semi* nepotibus fuiſſe inchoatam; *Sem* enim nondum mortuus fuit, (uti nec *Noachus*) erat autem vir pientiſſimus, & Divino cultui deditiſſimus; qui omni procul dubio filios ita erudiebat ut iſtiuſmodi facinus admittere nollent; quod ſi tale quid aggreſſi eſſent, certe eos fuiſſet cohibiturus: potius exiſtimandum eſt, illud opus ab *Hami* nepotibus fuiſſe excogitatum, qui maledictus erat, & à Dei timore quam maxime alienus; atque ita, horum linguam confuſam fuiſſe, illorum vero integram ad Hebræos perveniſſe.

Hæc ſunt illorum nonnulla, quæ pro Antiquitate Linguæ Hebrææ adduci poſſint: quibus reſponderi poteſt, opinionem illorum qui arbitrantur populum & linguam *Hebræam* ab *Hebero* fuiſſe nuncupatos † ab omnibus fere eruditis dudum eſſe rejectam, qui aſſerunt, *Abrahamum* עברי *Hebræum* vocatum fuiſſe à *Chananæis*, quaſi *Transfluvialem*, quod מעבר הנהר *meeber hannahar*, *de* locis *trans fluvium* ſitis, *Euphratem* ſc. in dubi-

† *Vid. Reverend. Walton. Prolegomenon* III. *D. Hyde Hiſtoriam de Religion. Vett. Perſ. Ludovic. Capell. Chronol. Sacr.*

terram Chananæorum venisset: Deinde dubitari possit, utrum Lingua *Hebraica* ipsi *Abrahamo* fuerit vernacula, an potius *Chaldaica*, venit enim ex *Ur Chaldæorum* (sic per prolepsin dictorum, vocabantur enim *Chasdim* à † *Chesed Nahoris* filio: est autem omnino improbabile, illius familiam alia lingua usam fuisse quam reliqui Chaldæi: credebilius est, *Abrahamum* linguam Hebræam à Chananæis, quibus vernacula fuit didicisse, (fuerunt autem ii, *Chami* posteri;) qui itaque asserunt, in *Semi* familia conservatam linguam sanctam, mire falluntur; Hebraice locutos fuisse *Chananæos*, probatur, cum aliis argumentis, tum ex nominibus propriis quæ urbibus imposuerunt קרית ספר קרית סנה *Kiryath sepher*, *Kyriath sonnah*, Jehos. xv, 15. 49. quæ pura puta sunt Hebraica; Hæc efficiunt quo minus facile probatu sit, Linguam Hebræam esse omnium antiquissimam.

Hæc pro gustu sufficiant, hanc vero quæstionem longa indagine ventilare, non est hujus loci.

---

† *Vid. Bochart. Phaleg.*

CAP.

CAP. II.

De utilitate & necessitate Linguæ Hebrææ discendæ.

VErum enim verò utcunque se res habeat de quâ superiori capite egimus, perinde est quoad Hebrææ linguæ discendæ utilitatem & necessitatem: Sive enim Lingua Hebræa omnium antiquissima sit, sive non sit, eodem redit: sunt enim linguæ rerum cortices, neque à viro sobrio & mentis compote discendæ sunt propter antiquitatem, sed ad rerum utilium quæ in iis continentur cognitionem assequendam. Quod si lingua Serum mater omnium foret, non eo nomine huic linguæ discendæ opera navanda est, nisi constaret res in ea contentas operæ pretium fore.

Quod cum ita sit, abundè patet, quam necessarium sit linguæ Hebrææ studium; hac enim Divina oracula primùm (quod scimus) scripta sunt, quæ certè summam diligentiam merentur; licet enim omnia

omnia ad salutem necessaria Novo Fœdere comprehensa sint, nemo tamen, cui sana mens, negare potest, plurima ad religionis Christianæ veritatem adstruendam necessaria è Testamento Veteri esse petenda; quod cum ita se habeat, non exiguam opem Novo T. subministrat Vetus; omnino itaque dignum est, non solum quod perfunctorie & quasi ab aliud agentibus legatur, sed quod ab omnibus eruditis summâ industriâ teratur, ad intimos ejus sensus exsculpendos; maximè verò si consideremus, nobis non solum cum Romanensibus, Socinianis & aliis Hæreticis rem esse agendam, Verum etiam cum Judæis qui T. N. auctoritatem prorsus rejiciunt, & ex solo Veteri convinci possunt; quorum salus omnibus iis curæ esse debet, quibus Evangelium est concreditum.

Cum V. T. intelligentia Christianis admodum sit necessaria, prout ex dictis liquet; sequetur inde necessariam quoque esse ejus, quâ scriptum est, Linguæ accuratam cognitionem: absque hâc enim fieri nequit, ut ejus sensus investigare possimus: quicunque enim versioni soli innititur, non tam suis videt oculis quam

alienis;

alienis; & hinc fit ut multi varias sibi finxerint opiniones, propter quas mirè sibi gratulati sunt, quæ, sublatis versionum mendis nullum in textu originali haberent fundamentum.

Addo; quod si omnibus risui est qui Græci auctoris Latinam solummodò versionem, utcunque accuratam, legere vult; eo nomine, quod hac ratione auctoris sensum & elegantiam assequi nequit: quale ludibrium Hebraicè doctis debebimus, si cariosæ versioni unicè innixi, fontes ipsos neglexerimus? Multa sunt in unaquaque Linguâ, quæ, si in aliam transfundantur, vim omnem & vigorem amittunt, prout quivis eruditus mecum facile agnoscet; multæ observationes textum accuratè legenti sponte se offerunt, quorum nec vola nec vestigium in versione apparet; tanti est, ipsas origines explorare! Unicum hujus rei proferam exemplum; hoc extat *Jehoshuæ*, Cap. II, 4. ubi hæc verba occurrunt ותקח האישה את שני האנשים ותצפנו· quæ sonant, *& accepit mulier* (*sc.* Rahab) *viros duos & abscondit eum.* Hunc textum quoniam juxta nostrum idioma vertere nequibant interpretes, verterunt *& ab-*

scondit

ſcondit eos. Rectè quidem, quod ſenſum attinet, non tamen quoad literalem interpretationem. Quis ergo eſt ſenſus ejus *Affixi* ſingularis, cum antecedens ſit plurale? Clare id explicant Doctiſſimus *Aben Ezra* & *R. David Kimchi. Viz.* ותצפנו כל אחר לבדו i. e. *abſcondit ſingulum eorum ſeorſim*, eo conſilio nimirum, ut, ſi prehenderetur unus, evaderet alter; quæ conjectura non eſt omnino improbabilis & abſona. Intelligunt Hebraicè docti quid velim.

Sed & innumera alia proferri poſſint, quæ textum legentibus in promptu eſt animadvertere, quorum cogitatio eorum animum nunquam ſubibit qui baculo ficulneo, verſioni ſc. innixi, in harum rerum ignorantia conſeneſcunt.

Pudeat itaque nos, quod dum alias literas tanto ardore proſequimur, Hebræas ſitu & ſqualore obſitas jacere patiamur; Quod dum Græcorum & Latinorum librorum editiones accuratiſſimas quotidie excudi curemus, vix unus aut alter Sacris Literis manum admoveat: Fragmenta profanorum auctorum ſummo ſtudio colliguntur, dum Hebraica legere vel etiam non legere ſufficiat.

—*Pu-*

——Pudet hæc opprobria nobis,
Et dici potuisse, & non potuisse refelli.

Quasi Hebræis literis suæ deessent Χάριτες & elegantiæ, quasi omnes libri cum Bibliis collati, non infimæ essent vetustatis! at inquiunt sufficere Criticorum labores ad omne in his libris necessarium assequendum; Utinam Deus Bone! res ita se haberet: fateor, quod fidem ad salutem necessariam attinet, & bonos mores, satis esse perspicuum: num eo nomine abjiciendus est Sacrarum Literarum cultus? si istiusmodi ratiocinatio valeret, possemus ab omni veterum lectione prorsus abstinere: nunquid ergo non legendi sunt veteres Medici, quod nostri recentiores accuratiorem curandi methodum assecuti sint? num itaque nobilissimi Auctores, *Aristoteles*, *Plato*, *Xenophon*, *Thucydides*, *Polybius*, *Tacitus* aliique plurimi omnino abjiciendi sunt, quod constet non ex eorum placitis hodie administrari respublicas? Num ideo quod Novæ bellandi artes repertæ sunt, Antiquorum *Tactica* legere lædebit? si ita se res haberet, profecto, relicto omni bonarum literarum cultu, in pristinam & primævam barba-

riem

riem relabi in promptu esset; Quod si hæ quas attuli rationes neminem cordatum movent ad veterum lectionem rejiciendam, quanto minus sacrarum Literarum studio debet officere, quod omnia ad salutem necessaria in Novo T. contineantur, quod plurima loca à Criticis fuerint explicata? Quæ ratio suadet, nos in sacris Libris (ab omnibus piis & eruditis summo studio colendis) eam incuriam admittere debere, quam alii in profanis non sustinent? Veterum labores nihil obstant quo minus nos etiam aliquid aggrediamur, imo potius calcar addere debet industriæ nostræ, ut quod illi imperfectum reliquerunt, nos perficere tentemus, erimus alioquin indigni tantis Majoribus: easdem quas illis animi dotes, nobis quoque largitus est Deus, adsit modo industria & indefessum promovendi studium.

Neque verum est quod ajunt, superiorum ætatum Criticos omnem adnotandi & observandi ansam nobis præcidisse, prout cuivis in his literis mediocriter versato facile patebit; reliquerunt nobis, spicilegium dixerim? imo amplissimam messem. Etsi enim plura vo-

lumina Commentariorum in S. Paginam elucubrata ſint, pauci tamen eorum Auctores accuratam ſatis linguarum cognitionem conſecuti ſunt; De *Patrum* adnotationibus non opus eſt ut aliquid moneam, pauci enim eorum, exceptis *Origene* & *Hieronymo*, Linguis Orientalibus erant imbuti; unde, miræ & ſtupendæ extant nonnullæ ipſorum interpretationes: Quod *recentiores* attinet, Hebraice & Chaldaice ſatis inſtructi fuerunt eorum nonnulli; ſed propter Linguæ Arabicæ ignorantiam, & forſan Æthiopicæ, multas difficultates intactas prætererire coacti ſunt, vel alias majores reddidere, quæ harum Linguarum ope facile potuiſſent expediri, quemadmodum ex ſcriptis *Samuelis Bocharti* & *D. Pocockii*, virorum in his literis κορυφαίων, cuivis inſpicienti facile patebit.

Verum objiciunt nonnulli, *Se lubenter his literis operam fore collocaturos, niſi earum intelligentia pridem interiiſſet*; aiunt ſiquidem, Linguam Hebræam, ex quo primum abductus eſt *Judah* à *Nebuchadnezzare*, pridem obſoleviſſe; adeoque tanta temporis intercapedine eſſe mutatam, *ut ne ipſi quidem Judæi Sacra Biblia*

Biblia intelligant quibus primum tradita ſunt: hoc ſi verum eſſet, poſſet quidem viros etiam cordatos ab his ſtudiis divertere, ſed ſecus eſt. Inter hos qui hoc aſſeruerunt, primas obtinet *Iſaacus Voſſius*, LXXII. *Interpretum* propugnator ſtrenuus,& quaſi dixerim, primipilaris; cujus ne quempiam commoveat auctoritas, ut iniquiorem, quam par eſt, de ſacris literis opinionem concipiat; oſtendam breviter, illum virum alioquin eruditum, Linguam Hebræam non ſatis accurate calluiſſe, & proinde harum rerum judicem eſſe inidoneum: ſed quoniam nollem alienas laudes depeculari, neque mihi gratum ſit aliorum lapſis nimis inſiſtere, unicam inſtantiam proferam, ex qua, hujus quod dico veritas ſatis patebit; ea extat p. 44. *Diſſertationis de* LXXII. *Interpretibus & eorum Tralatione.* Ubi ad *Exodi* XIII, 18. mirum in modum Rabbinis inſultat, quod vocem חמשים *Hhamuſhim* non ſecundum LXXII, interpretati ſint; Promit ibi quædam Rabbinorum in hunc locum deliria, ſed quod eorum cordatiores de hac re ſentiunt, tacet, quod omnino iniquum eſt; carpit quoque *Hieronymum*, virum in

Hebræis literis verſatiſſimum, quod *Aquilæ* verſionem, cujus ſenſus & Rabbinorum idem eſt, probaverit: contendit autem, vocem חמשים *Hhamuſhim* verti debere, πέμπτη γενεᾷ juxta LXXII. Hic autem turpiter ſe dat vir Doct. prout æquum fuit, hominem ingenio ſuo nimis fidentem; ignoravit procul dubio, iſtam vocem חמשים nullibi in tota ſcriptura, in iſto ſenſu, quem defendit, occurrere; nam *Jehoſhuæ* cap. I. 14. eadem vox occurrit, ubi notat *Maſorah* ד׳ בליש׳ i. e. *Quater occurrit hæc vox in ſacra Scriptura, in eadem ſignificatione;* unde manifeſtum eſt *Maſorethas* (qui, pace *D. Voſſii* dixerim, vocum Hebræarum ſignificationes, longe melius quam ipſe, habuere perſpectas) hanc vocem in loco *Exodi* ſupra citato, eodem ſenſu accepiſſe quo in *Jehoſhua* accipienda eſt; at in hoc loco *Jehoſhuæ* verti requit πέμπτη γενεᾷ, neque in aliis, ubi occurrit, locis, viz. *Jehoſhuæ* IV. 12. & *Jud.* VII. 11. Quæ itaque ratio ſuadet, cum vox quater ſolummodo vicibus in tota ſcriptura legatur, in quarum tribus nequit verti πέμπτη γενεᾷ, neceſſario, in reliquo loco ita eſſe vertendam?

Quod

Quod ſi concederemus, Iſraelitas quinta à Jacobo generatione, ex terra Ægypti aſcendiſſe, nihilominus tamen evinci nequit, eam eſſe vocis *Hhamuſhim* ſignificationem, quin potius contrarium, ex reliquorum locorum collatione; nam aſcenderunt filii Iſraelis חמשים *Hhamuſhim* ex Ægypto, & tranſiverunt Jordanum חמשים *Hhamuſhim*, ex quibus locis ſatis apparet, iſtam vocem non reſpicere γενεὰν, *generationem* qua exibant, ſed *ordinem* potius *militarem*; nam ſi cum exiverunt *Hhamuſhim* ex *Ægypto*, verti debeat πέμπτη γενεᾷ, quomodo verti debuerit, ubi tranſierunt Jordanum *Hhamuſhim?* non πέμπτῃ γενεᾷ, ii enim qui ex Ægypto veniebant in deſerto perierunt; ergo, ſi *Quinta generatio* ex Ægypto egreſſa eſt, ſexta Chananæam introiit, qui tamen non minus dicuntur tranſiiſſe Jordanum *Hhamuſhim*, quam qui ex Ægypto venerunt. Jam vero notat *Maſorah* hanc vocem quater occurrere, in eadem ſemper ſignificatione, quæ nequit eſſe πέμπτῃ γενεᾷ, quemadmodum etiam conſtat ex duobus aliis locis ubi eadem vox occurrit: unde patet *D. Voſſii* auctoritatem

non eam esse, quæ quempiam movere debeat, in iis rebus quæ sacras Literas respiciunt, quippe qui eas non ipse satis excoluerat; & tamen hic est, qui omnes pro asinis, ne dicam truncis & stipitibus haberi voluit, qui non secum sentiebant. Sed de his satis.

Sed neque verum est quod afferunt, Linguæ Hebrææ intelligentiam Judæis intercidisse; nam tametsi fatendum est, ex quo in *Captivitatem Babylonicam* abductus est *Judah*, primævum illum Linguæ Hebrææ nitorem sensim defloruisse, & ad interitum vergere cœpisse, non tamen defuere qui sacram Linguam summo studio excolebant, apud eruditos enim (Sacerdotes sc. & scribas) omnibus aliis rebus semper fuit præhabita: neque hic objici possit, quod tempore *Josiæ* repertus est liber *Legis*, II Reg. XXII. unde colligi volunt nonnulli, quanta fuerit Judæorum socordia, quod non servarint plura exemplaria; neque quod cum *Ezra* & *Nehemiah* ad restaurandas Hierosolymas redierint, populus *legis* adeo fuit *oblitus*, ut necesse fuerit Sacerdotibus & Legis peritis singula commata Chaldaice exponere. (*Nehem.* VIII, 8.) nam quod poste-

posteriorem instantiam attinet, pro nostra assertione plurimum facit; hinc enim constat, utcunque vulgus Linguæ Hebrææ fuisset oblitus, non tamen defuisse eruditos, qui ejus genuinum sensum explicare poterant, quemadmodum ex *Ezra* & *Nehemia* satis est manifestum; unde patet, in gente Judæa semper extitisse homines, qui licet Lingua Hebræa apud vulgus defecerat, illi operam dabant. Quod autem priorem instantiam attinet, viz. *exemplar Legis repertum fuisse diebus Josiæ*; Respondeo, Primo, non exinde constare, omnia Legis exemplaria tunc temporis interiisse, sed solummodo illud exemplar, utpote in Templo repertum, cæteris fuisse habitum correctius, ad cujus normam reliqua exigi deberent; præterea, cum dixit *Hilkias* Pontifex summus, se reperisse Legis exemplar, minime credo, illum ignorasse ubi fuit, etiam regnante *Menasseh*; sed præ metu impii & idololatrici Regis, proferre non ausum fuisse. Secundo, finge rem ita se habere, viz. quod omnia Legis exemplaria tunc fuerint abolita & perdita, illo unice excepto quod *Hilkias* in Templo reperisse perhibetur, (quod tamen nullo mo-

do concedendum eſt, nam tametſi in diebus Menaſſeh graſſata eſt Idololatria, extitiſſe tamen homines pios & Dei cultui deditos, cum Sacerdotes & Levitas, tum alios qui operam legi dabant, dubitari nequit) non tamen exinde deduci poſſit Argumentum, ad eorum Judæorum, qui poſt *Ezræ* tempora vixerunt, negligentiam probandam: neſcio enim quo caſu acciderit, ut Judæi, poſtquam inter eos deſierant eſſe Prophetæ, majori zelo Dei cultum & Legis ſtudium proſecuti ſint, quam cum frequentiores nuntios a Deo accipiebant; hoc ſatis patet ex S. Scriptura, nam à Moſis tempore uſque ad captivitatem Babylonicam, nihil apud ipſos idololatria frequentius: non obſtante, quod ſæpius à Prophetis de hac re fuerint moniti, nec quod Dei vindictam eo nomine frequenter fuerint experti; at poſt captivos reduces, cum ſe paulatim ſubduxerat Numinis afflatus; utcunque aliis urgerentur criminibus, ab idololatria prorſus abſtinuere, imo graviſſima ſupplicia prius ſuſtinere mallent, quam quibuſvis Ethnicorum pollutionibus inquinari ſe paterentur, quod ex diris illis cruciatibus, quos regnante *Antiocho Epipha-*

piphane perpeſſi ſunt abunde liquet; Legem vero tanto ſtudio proſecuti ſunt, ut ne *minimus quidem apex* mutaretur (ſi modo fieri potuit) curarent.

His addo, omnibus eſſe notum, *poſt captivitatem Babylonicam*, *Linguam Hebræam deſiiſſe vernaculam eſſe*, hoc tamen non obſtabat quo minus inter Judæos conſervari poſſet ejus cognitio uſque ad *Ptolemæi Philadelphi* tempora, quibus *Biblia Græce* verſa eſſe affirmant *Euſebius* & *Joſephus*: Jam inter *Templi Deſtructionem* & *Ptolemæum Philadelphum* intercedunt Anni circiter tercenti; quod ſi tanto temporis tractu non interciderit, hinc abunde probatur Judæorum in hoc ſtudio diligentia; quam poſterioribus ſeculis minorem fuiſſe, nullo modo probari poteſt.

Quinetiam Salvator noſter *J.Chriſtus*, qui acerrime in *Phariſæos* & *Legiſperitos* invectus eſt, *Legis corruptionem* aut negligentiam illis unquam *exprobravit* (ſed contrarium potius ex ipſius verbis colligi poteſt, qui illos ſæpe reprehendit, *quod omiſſis majoribus*, *Legis minutias ſectarentur*) quod omni procul dubio facturus fuiſſet, ſi iſtiuſmodi crimen illis

ullo modo aut jure potuisset intentari; quod cum nunquam fecerit, videtur nec facere potuisse; non enim illis fuisset parsurus (utcunque in alios clemens & misericors fuerit) qui quavis oblata occasione, illorum vitia vellicare solitus est; unde, non incongrue colligi possit, summam ab istius temporis Legis peritis adhibitam fuisse diligentiam, ne quid damni pateretur Textus Hebraicus, quod nullo modo fieri potuisset, absque ejus Linguæ cognitione accurata.

Quod si prout ex dictis patet, Hebrææ Linguæ cognitio apud *Sacerdotes* & *Rabbinos* ad Salvatoris nostri tempus duraverit, non difficile admodum erit probare, ad hunc usque diem duravisse; statim enim post Christum crucifixum (si non à diebus Ezræ, quod volunt nonnulli) orti sunt *Masorethæ*, quorum labor revera est quod Rabbini dicunt סיג לתורה *sepes Legis*, hac enim, quantum fieri potuit, caverunt nequid in sacro Textu immutari possit, observarunt quoties unaquæque vox in eadem significatione occurreret, &c. quod impossibile ipsis fuisset, nisi accuratissimam sacræ Linguæ cognitionem essent consecu-

ſecuti : addo hodiernos Judæos illam probe callere, & eaſdem vocum ſignificationes apud ſe habere, quas à patribus olim receperunt, licet non diffitear, in multis illos hallucinari, & multa ſacrum Textum illuſtrantia ex *Arabiſmo* eſſe petenda, quæ locis obſcurioribus lucem affunderent, quod pleroſque Rabbinos noſtros latet.

Huic itaque objectioni amoliendæ, viz. *Quod Linguæ Hebrææ cognitio pridem interiit*, manum pro viribus admovimus, nec immerito; quicunque enim hanc ſemel admiſerit, ſufflaminantur omnes illius in his literis conatus; reſtat ut *neceſſitatem Linguæ Hebrææ* diſcendæ ulterius urgeamus, nimirum ex vitiis quibus ſcatent hodiernæ verſiones.

De LXXII. non opus eſt ut aliquid moneam, quanta enim ſit inter hos, & Hebræum Textum diſcrepantia, jampridem omnibus eruditis innotuit; multi de hac re ſcripti ſunt libri, multa orta ſunt jurgia, quibus nolo me immiſcere; nam cum omnia quibus utimur Biblia, juxta *Hebræum* textum, non vero Græcum ſint expreſſa, ut eluceſcat Linguæ Hebrææ diſcendæ neceſſitas, ſufficit ut oſten-

ostendam, versiones ex Hebræo factas, non adeo esse accuratas, ut ulteriori cura non indigeant.

Neque quæ in *Latina vulgata* occurrunt mendæ, observare operæ pretium est; quippe, eas esse innumeras omnibus constat; mendarum solummodo, quæ in optimæ notæ versionibus apparent, gustum exhibere statui, ut videat Lector, etiam nostræ ætati, aliquid in Lingua Hebræa superesse præstandum; sunt autem optimæ versiones,

1. *Ariæ Montani versio interlinearis.*
2. *Sebastiani Castalionis versio.*
3. *Junii & Tremellii.* Quibus addam
4. *Anglicanam nostram,*

omnibus his æqualem saltem, si non superiorem; quæ summa cura & diligentia, non ab uno & altero, sed à pluribus eruditis elaborata est; adeo ut affirmare ausim, eam omnium, quæ extant, Bibliorum versionum optimam esse & præstantissimam: non tamen diffitendum est, tam in ea, quam in reliquis, multos errores esse admissos; quorum unum aut alterum tantum proferam, ne Lectorem diutius morer; maxime cum tot animadverterunt viri eruditi: Quin-

etiam nuper prodiit *Auctor*, † qui quæ ex *Criticis* corraſerat, *Anglicano ſermone* vulgavit; ex quibus, Lectori facile conſtabit, non ſolum nobis neceſſariam eſſe *Novam Bibliorum Verſionem*, quod ille contendit; verum etiam *Linguæ Hebrææ* accuratam cognitionem.

Gen. II, 8. ויטע יהוה אלהים גן בעדן מקדם plerique interpretes exponũt מקדם *mikkedem*, per, *Orientem verſus*. Quod ſi ita eſſet, neceſſe eſt, Moſem reſpectum habuiſſe ad locum ubi ipſe fuit cum hæc ſcripſerit, cujus loci reſpectu, dixerit hortum Edenis ſitum eſſe in Oriente, quod nullus credo: debet verti, *A principio*, ut ſenſus ſit, *Plantaverat autem Deus Paradiſum voluptatis à principio*: ſic recte animadvertit *Meibomius*; Quinetiam vidit id *Paraphraſtes Chaldæus*.

Gen. XXV, 18. על פני כל אחיו נפל interpretes Anglici ſic, *He died in the preſence of all his Bretheren*. *Male*, ni fallor. Vox enim נפל *Naphal* vix hoc ſignificat; (non enim dicitur נפל *cecidit*, quando aliquis moritur, niſi in Bello occiſus ſit, tum enim ſæpe uſurpatur) nam

† *An Eſſay for a new Tranſlation of the Bible.*

locuta eſt S. Scriptura de regionibus ab *Iſmaelis* filiis inhabitatis, unde ſubintelligendum videtur גורלו *goralo*, vel ſimile quid, ut ſenſus ſit, *cecidit ſors ejus, vel portio* &c. Huic ſuccenturiantur verſiones *Syriaca* & *Arabica*, quarum illa vocem נפל *naphal* reddit, ܥܡܪ *Habitavit*, hæc vero واقام بحضرة جميع اخوته *& ſtetit* (ſive habitavit) *coram omnibus fratribus ſuis:* Eodem plane ſenſu verſio *Mauritanica* ab *Erpenio* edita, quæ ſic hunc locū vertit, بحضرة جميع اخوته سكن i. e. *in conſpectu omnium fratrum ſuorum habitavit;* Sic etiam *Targum Onkelos* & LXXII.

Jeſaiæ VI, 12. ורבה העזובה בקרב הארץ Anglica verſio, *And there be a great forſaking in the Land,* Et fiat magna derelictio in terra; *Verte,* & multiplicentur viduæ in Terra, *and the Widows be multiplied in the Land;* nimirum hoc minatur Deus, ſe longe viros remoturum, & multas fore viduas; eſt autem עֲזוּבָה *Particip. Pahul. Fœminin.* Hanc interpretationem confirmat verſus *Exod.* XXIII, 29. à *Maſorethis* ad hunc locum citatus ורבה עליך חית השדה *& multiplicentur*

centur in te Feræ. Exempla ex aliis versionibus proferre ſuperſedeo, cum, quod brevis eſſe laborem, tum quod frequentiores in iis occurant lapſus, quos lector facile animadvertet.

Cap. III.

Qua methodo Linguæ Hebrææ ſtudium aggrediendum ſit; & primo de Textu Biblico.

Cum jam evicerim neceſſarium eſſe Linguæ Hebrææ ſtudium, præſertim Theologis: methodus qua harum rerum ſtudioſus in his literis uti debeat, reſtat explicanda, neſcio enim unde evenerit, multos ab his ſtudiis, difficultate quæ iis ineſſe arbitrantur deterreri; cum non ſit res tam ardua quam à multis, uti nec tam facilis, quam ab aliis habeatur: nos omnia methodo facili & plana, quæcunque ad hæc ſtudia promovenda quicquam

quam conferre visa sunt, hoc capite & sequentibus trademus.

Quicunque igitur his studiis incumbere statuit, *Schickardi* vel *Bythneri* Grammaticam sibi comparare debet; *Bythneri* eo nomine hujus Linguæ studiosis commendanda est, quod ei adjuncta sit *Praxis*, in totum *Psalmorũ* librum, utilissima; probe novi, quam difficile sit cujuscunque linguæ studium aggredi, cum desint quæ ad ejus Praxin quasi manu ducant; etsi enim aliquis, omnia Grammatices præcepta memoriter teneret; multa tamen quæ *Idioma* spectant, restant investiganda, quæ absque Praxeωs ope, ægre superabuntur.

Addo, Regulas quæ in *Bythneri* Grammatica continentur, admodum breves esse & ad rem appositas; fateor eum multa omisisse quæ ad hanc linguam ulterius explicandam essent admodum utilia; sed hæc, postquam paululum profecit diligens lector, per se facile deprehendet.

Hanc itaque Praxin, post literarum lectionem, & distinctionem in *Gutturales*, *Labiales* &c. & *Verborum perfectorum* conjugationes perceptas, in manus sumas,

ſumas, & ubicunque ad *Regulas* in Grammatica contentas referatur, eaſdem conſulas; hinc fiet, ut priuſquam Praxin abſolveris, totam fere Grammaticam memoriter tenere poſſis.

His adjicias velim *Buxtorfii Theſaurum*, qui totam rem Grammaticam quaſi exhauſit; de *Verbis* & *Nominibus* quoties aliquid difficile occurrit, eum conſulas, maxime in *Syntaxi*, ubi multa obſervatu digna occurrunt, licet nonnullis in hac re *prolixior*, quam par eſt, videatur.

Abſoluta Bythneri Praxi, ejuſdem lectio repetenda eſt, ut *Voces* & *Regulæ* altius memoriæ inhæreant; deinde tota comparanda ſunt *Biblia*, quorum optimæ editiones ſunt quæ ſequuntur,

1. *Plantiniana*,

2. *Menaſſeh Ben Iſrael*,

3. *Janſſonii*, quæ cum Novo Teſt. Græc. compingitur,

4. *Ariæ Montani*, cum verſione interlineari.

5. *Joſephi Athiæ.*

6 *Roberti Stephani*, 3. vol. in 4°, Charactere nitidiſſimo; cum notis *Kimchii* in Minores Prophetas.

Harum optima eſt *Joſephi Athiæ* edi-

 tio

tio posterior, ea *viz.* quæ rerum summas *margini* habet Latine adscriptas: *Janssonii* quoque editio satis est accurata, sed typis minutioribus est impressa: *Menasseh Ben Israel* editio nitidis typis excusa est, sed quod eam nondum legerim, ideo de ea judicium ferre nequeo; sat scio, eandem cum *Athiana* & *Plantiniana* existimationem apud eruditos non esse consecutam. *Ariæ Montani* editio est satis correcta, sed nolo eam Junioribus commendare, propter interlinearem versionem, quæ subinde socordiæ solet ancillari. *Roberti Stephani* editio pulchris quidem characteribus est impressa, præsertim *Pentateuchus* & nonnulli *Priores Prophetæ*, sed omnium, quas adhuc recensuimus, est inaccuratissima, & pluribus mendis scatet, quæ libri pulcherrimi nitorem turpiter fœdarunt.

Pentateuchi optima editio, est editio *Rozæ*, in qua (prout nuntiabat mihi quidam Rabbinus qui totam relegerat) nulla menda occurrit, neque in *Consonis*, neque in *Punctis Vocalibus*, neque in *Accentibus*.

Quod si quis in his studiis ulterius

pro-

progredi velit, ei auctor sum, ut non solum Biblia Hebraica, verum etiam eorundem versiones Orientales sibi emat. Optima editio (ut taceam *Biblia Complutensia*, Regis *Hispaniæ*, *Galliæ*, de quibus vide Reverendiss. *Waltoni* Prolegomena) est *Polyglottorum Anglicanorum*. Quin ab initio apud se habeat *Biblia Rabbinica*, editionis sc. *Bombergianæ* impressæ Anno M.DLXVIII. vel *Buxtorfianæ Basileensis*, in quibus, præter Biblia Hebraica & Chaldaica, habentur etiam Commentaria *Rabbinorum* maxime celebrium, quales sunt, *R. Schlomo Tarhhi*, *R. Aben Ezra*, *R. Saadias Gaon*, *R. Levi Ben Gershom*, *R. David Kimhhi*, *Baal Hatturim*. Quæ, nisi quod in his Bibliis extent, ægre comparari possunt.

Bombergiana horum Bibliorum editio optima est; sed raro comparet, & magno vænit: *Buxtorfiana* vili vænit & ubique fere comparet; unde hoc discriminis acciderit nescio, nisi quod *Bombergianæ* cedere habita sit; sed utcunque hæc res se habeat, non tantum inest discriminis inter has editiones quantum vulgo censetur.

Post bene lectam & intellectam *Bythneri* Praxin, Bibliorum lectionem tuto aggredi possis, nec est quod fælicem in his progressum tardare possit, modo adsit industria & proficiendi studium.

Incipias itaque à primo Geneseos Capite, neglectis * *Anomaliis* specialioribus (non enim omnia simul aggredienda sunt) & pergas, donec Pentateuchi finem attigeris; his diligenter lectis, נביאים ראשונים *Prophetarum Priorum*, *Josuæ* sc. *Judicum*, *Samuelis*, & *Regum* libri nihil in se difficile continebunt, quod non facile superare possis; his adjungas *Chronicorum* libros, deinde reliqua adeas *Hagiographa*, viz. *Ruth*, *Nehem. Esther*, *Ecclesiast.* His lectis *Prophetas* ultimo loco legas; quia propter brevem & concisum stylum, & obscurum loquendi modum, multa continent, quæ lectorem paulisper exercitatum requirunt. Omnium autem ultimi legendi sunt *Proverbia* & *Job*, sunt enim omnium difficillimi, propter frequentes parabolas & similitudines in iis libris con-

* *De quibus vide Sixtini Amamæ Grammaticam* Martinio-Buxtorfianam.

tentas:

tentas: *Job* autem difficultates continet non prima aut secunda lectione superandas; ideo quod plurimis scateat *Arabismis* & inusitatis vocibus, quarum genuinam explicationem nemo quod sciam adhuc attigit, nec forte quispiam unquam assecuturus est.

Hac methodo caute & studiose lectis Bibliis (exceptis iis eorum partibus, quæ Dialecto *Chaldaica* scriptæ sunt) jam sine cortice natare tentes velim; aggrediaris nimirum lectionem Hebraicam punctis vocalibus destitutam; quæ res adeo mira nonnullis esse videtur, ut vix aliquem extare censeant, qui eam præstare poterit.

Observandum est obiter, Judæos Nomen τετραγράμματον יהוה nunquam pronunciare, sed per *Elohim* vel *Adonai* semper efferre (quod omnibus notum est) quod etiam à nostris fieri melius est, non ob religionem aliquam, sed quod cum Judæorum conversioni studeamus, illos in rebus leviculis irritare & à nobis alieniores reddere, nec pii hominis est, nec prudentis: illi enim si quem audiverint nomen יהוה efferre conantem, (veram enim ejus pronunciationem ne-

mo hodie novit) non minus indigne ferunt, quam pius aliquis Christianus, cum audiverit aliquem blasphemias & diras eructantem.

Præcipua hujus Linguæ difficultas in Punctis *vocalibus* & *accentibus* consistit; quapropter Linguæ Orientales non adeo faciles nec perfectæ sunt ac Occidentales, quæ semper appositas habent vocales; nam ubi sententia difficilior occurrit, ægre potest ejus sensus investigari; maxime vero, si forte immista sint nomina Propria vel hominum vel locorum; non enim literis majusculis ad hæc distinguenda nostro more utuntur; & præterea, ipsa nomina Propria, non minus quam Appellativa, significationes sibi habent adjunctas; sententias commatibus & colis nunquam distinguunt: nullæ his admirationis notæ, interrogationis nullæ; unde maxima oritur in legendo confusio, quæ lectori etiam in his rebus versatissimo negotium aliquando facessere possit.

Sed quod Tyronibus in hac re (lectione sc. absque punctis vocalibus) molestiam creare solet, hoc est; quod dum cum Punctis legunt, ad vocum formam

non

non ſatis attendant; ſufficit iis hanc vel illam vocem Latine poſſe reddere, licet ejus formandæ rationem prorſus ignorent; caveas itaque tibi, ut huic rei operam adhibeas; ut agnoſcas ex qua Conjugatione unumquodque nomen formatum ſit: ſive ex *Hiphil*, vel *Piel*, vel *Hithpael* &c. regulas præterea memoriæ fideliter mandes, quæ in *Bythneri Lyræ* Cap. XIII. & XV. traduntur.

His bene abſolutis lectionem ſine punctis tuto aggredi poſſis, nec eſt quod in ea fælicem deſperes ſucceſſum; exſcribas itaque caput aliquod Biblicum abſque punctis vocalibus; illud apud te ſerves hebdomadæ ſpatio, tantiſper dum deferbuerit vocalium, quæ inter exſcribendum memoriæ forſan inhærebant, reminiſcentia; deinde idem caput in manus reſumas, & quid proprio Marte poſſis tentes; apponendo ſc. Vocales non conſulto ullo libro qui eas habet appoſitas: deinde cum correcto Bibliorum exemplari opus tuum conferas: errores corrige; & totum caput ex Bibliis cum punctis tranſcribe, ne forte errorum tuorum memoria menti inhæreat; nec te deterreat, ſi prima vel altera vice opus

tuum mendis scateat, pedentim enim ac lente in his studiis procedendum est; quod si hunc laborem sæpius repetiveris, brevi tempore, ultra quam cogitare possis, proficies.

His rite peractis, & Linguæ Hebrææ genio probe perspecto; Bibliorum reliquam partem, eam *viz.* quæ in *Chaldaica Dialecto* scripta est, legere possis: *Chaldaico* autem idiomate scripta sunt hæc, *Jer.* X. 11.

Dan. II. à v. 4 ad finem
III, IV, V, VI, VII. integra.
Ezr. IV. à v. 8. ad finem.
V. integrum.
VI. ad v. 19.
VII. à v. 12. ad 27.

Bythneri Chaldaica Institutio nimis brevis est, adhibenda est *J. Buxtorfii Grammatica Syriaca & Chaldaica*, qui non solum quæ ad locorum S. S. Chaldaicorum intelligentiam sufficiunt, complexus est; verum etiam quæ ad legendas *Paraphrases* & *Talmudem*. Utilis quoque est *Crinesii Grammatica Chaldaica*; omnibus vero in hac re palmā præripuit *Lud. de Dieu*, qui *discrimen* illud, quod inter *Dialectos Syriacam & Chaldaicam* intercedit, accuratissime

tiſſime complexus eſt. Legas itaque hanc Bibliorum partem (Chaldaicam ſc.) quam diligentiſſime poteris, eandem methodum obſervando quam in Hebraicis ſupra monui; exſcribendo ſc. caput aliquod & puncta vocalia adponendo; ſingularum vocum formas accurate diſtinguere diſcas, quo melius, ubi ad *Paraphraſtas Chaldaicos* legendos perveneris, ſtyli diſcrepantiam animadvertere poſſis: multum enim intereſt: nam quæ in Bibliis Chaldaice occurrunt, ſcripta ſunt florente adhuc Babyloniorum imperio, cum iſta lingua ſummam elegantiam & nitorem eſſet conſecuta; Chaldææ autem Paraphraſes ſcriptæ ſunt à Judæis jam è captivitate reducibus, qui Linguam paulatim corruperant; unde omnino neceſſarium eſt, ut hoc probe attendat Lector, quo melius de utriuſque ſtylo judicium ferre poſſit.

Abſolutum jam fuiſſet hoc caput, in quo de iis quæ Textus Biblici ſtudium attinent, tractare decreveram, niſi reſtaret aliquid de *Accentibus* dicendum, quorum rationem multi ignorant. Probe novi, tam puncta *vocalia* quam *Accentus*, à pleriſque tanquam poſterio-

rum Rabbinorum commentum rejici; ſed æquum eſt, ut id nobis probent.

Integrum ſit ipſis ſua ſententia gaudere; eandem quoque nobis largiantur veniam; Interim quoniam Hebræi codicis *Accentibus* ornati & inſtructi nobis traditi ſunt, æquum eſt, ut de iis pauca dicamus.

A nonnullis habentur *Muſices antiquæ* notæ, quibus elevatio vel depreſſio vocis indicatur; ego potius ſentio ad diſtinguendum ſenſum fuiſſe adſcriptos, & vicem *Commatis*, *Coli*, *Periodi* &c. ſupplere; quod aperte indicat eorum *conſecutio*, quemadmodum cuilibet legenti apparebit.

Ut itaque horum rationem aſſequaris; legas *Caſparis Ledeburii* שלשלת המקרא *Catenam Scripturæ*, in qua traditur varia accentuationis *conſecutio*, adductis plurimis exemplis, quibus regularum, quas proponit, veritatem confirmare nititur. Quod ſi iſtum librum comparare nequeas, utaris *Robertſoni Manipulo*, in quo inter alia habes ſuccinctam Accentuationis doctrinam quam ille ex *Ledeburio* & *D. Waſmuth* transſcripſit. Huic, poſtquam in Rabbinicis ſatis profece-

feceris, adjicias tractatum שער הנגינות i.e. *Portam Accentuum*, quæ claudit Masoram magnam finalem in Bibliis *Venetis* & *Buxtorfianis*: *R. David Calonymum*, qui *R. Abrahæ de Balmes* Grammaticæ tractatum de Accentibus addidit; *Eliam Levitam* aliosque Grammaticos Rabbinicos.

Quod Lexicon attinet, scripsit *Pagninus Thesaurum Linguæ Hebrææ*, *Mercerus* quoque aliique huic rei operam navarunt, sed juniorum usui accommodatissimum est *Johannis Buxtorfii Lexicon*, qui in eo scribendo, *Kimchii* librum שרשים *Shorashim* compilavit, quemadmodum etiam ejusdem מכלל *Michlol* opus Grammaticum cum *Thesaurum* suum *Grammaticum* scripsit. Hujus Lexici optima editio est quæ impressa est *Londini* Anno MDCXLVI, cum quod nitidius & correctius cæteris sit excusa, tum etiam quod ei annexa sint ראשי תיבות *Capitula Dictionum*, *Abbreviaturæ* sc. *Rabbinicæ*, quæ in ipsorum scriptis adeo frequenter occurrunt, ut absque hujusmodi subsidio, parum in lectione Rabbinica quispiam profecerit.

CAP.

Cap. IV.

De Antiquitate Punctorum vocalium & Accentuum Hebræorum.

QUONIAM inter eruditos magna de Antiquitate *Punctorum & Accentuum* orta est controversia; ne quid prætermisisse videamur, quod jure à nobis expectari poterat; nonnulla etiam de hac re prælibare visum est.

Eruditi hic in duo dispescuntur agmina; quorum prius *Puncta Vocalia* & *Accentus* ipsi Textui esse coævos, imo ab ipso *Mose* fuisse traditos acriter contendit: alterum, Rabbinorum posteriorum esse commentum; à *Masorethis* vero *Tiberiensibus*, annis post Natum Christum circiter sexcentis excogitatum fuisse constanter affirmat. De utraque opinione pauca dicemus.

Prior opinio, viz. *Puncta vocalia &* Ac-

Accentus ipsi Textui esse coævos, apud Judæos semper obtinuit. At cum *Judæos* dico, non omnes intelligo, sed *Rabbanitas* solummodo; quid enim de hac re sentiant *Karraitæ* prorsus ignoro: Quod ut melius capias, scias velim † duo extare Judæorum genera, *Rabbanitas* sc. & *Karraitas*; Priores non solum *Legem*, *Prophetas* & *Hagiographa*; verum etiam omnes *Seniorum traditiones*, *Talmud*, *Puncta vocalia* & *Accentus*, *Cabbalam* &c. tanquam ab ipso Deo Mosi è monte Sinai tradita, ambabus ulnis amplectuntur: *Karraitæ* vero, traditiones Judaicas, quæ in *Talmude* continentur, adeoque omnes illorum Glossas & interpretationes rejiciunt. Scripturas solas recipiunt, quas etiam prout ipsis visum fuerit, interpretantur. Hi, quod in nostris plagis raro appareant, (sunt autem in *Russia* & *Tartaria*, circa montem etiam *Atlantem*, referente *Leone Africano*) nec multa penes nos extent ipsorum scripta, ideo quid de hac re sentiant, nobis minus est compertum. Quod si constaret *Karrai-*

† *Buxtorf. Synagog. Judaic. Morini Exercitat.*

com-

tas quoque *Punctis Vocalibus* & *Accentibus* usos esse, hinc abunde constaret illorum Antiquitas; eo nomine quod hoc hominum genus se Rabbinorum commentis illusos iri minime patiantur.

Reliqui Judæi puncta Vocalia & Accentus non minus quam ipsum Legis *Textum* à *Mose* traditos fuisse contendunt, quæ opinio in illorum Scholis & Synagogis diu invaluit, donec primum *R. Aben Ezra*, postea vero *Elias Levita* Germanus litem movere cæperunt. Quorum ille annis abhinc circiter DL. hic vero CC. floruit. Utrique in istiusmodi rebus satis eruditi, utrique in hac re hæresiarchæ.

Hi contendebant, Accentus & Puncta, Judæis, dum adhuc florerent Hierosolymæ, omnino esse ignota; eo nimirum nomine, quod Judæi in legendo Hebræo Textu adeo essent versati, ut istiusmodi subsidiis minime indigerent, postea vero cum deletæ essent Hierosolymæ, ac Lingua Hebræa indies interire cæperat, hæc Puncta & *Accentus* à recentioribus Rabbinis demum fuisse excogitatos, ne Sacra Lingua funditus & radicitus intercideret.

Hæc

Hæc est sententia *R. Aben Ezræ* & *R. Eliæ* quibus licet ob hanc occasionem litem æternam intentarint Judæi; non tamen defuere inter Christianos, qui hanc duorum Rabbinorum amplexi sunt sententiam; inter quos primas obtinent *Ludovicus Capellus*, & *Johannes Marinus*, quorum hic in Grammatica Samaritana aliisque scriptis contra punctorum vocalium & Accentuum antiquitatem non minus ingeniose quam docte disseerit; illius vero *Arcanum Punctationis Revelatum* plerosque adeo cepit, ut pauci restent qui in ejus sententiam pedibus non eant.

Sed utcunque plerosque fautores sibi comparaverit nova hæc opinio, non desunt tamen viri eruditi, qui ejus contrarium affirmare audeant: quorum primus qui huic rei manum admovit, est eruditissimus *Buxtorfius P.* qui in sua *Tiberiade* sive *Commentario Masorethico*, omnibus vel saltem præcipuis Argumentis solide respondit, quibus sententiam suam adstruere conati sunt *R. Aben Ezra* & *Elias Levita.*

Hunc subsecutus est *Johannes Buxtorfius F.* qui *Capellum* acerrime excepit

propter

propter *Arcanum Punctationis Revelatum*. Inter hos tota lis pendet, horum itaque libros compares, quibus lectis ipſe pro te judicare poſſis.

Argumenta quæ utrinque proferuntur, diſcutere, non eſt inſtituti noſtri; non enim hujuſmodi res accurate ventilare nobis propoſuimus, ſed tantum lectori in his ſtudiis hoſpiti facem quodammodo præferre & quaſi manu ducere: unum itaque vel alterum Argumentum breviter proponemus, deinde ulterius pergemus.

I. Qui puncta Vocalia & accentus Textui eſſe coævos negant, hinc opinionem ſuam adſtruere conantur, viz. *quod Codex Samaritanus iis deſtitutus ſit*. Cui reſponderi poſſit, in antiquis Hebraicis codicibus non reperiri puncta, imo in nullis eorum, qui à Judæis in Synagoga leguntur, hinc tamen non colligi poſſit, nulla apud Judæos extare puncta. Quod ſi non valeat poſterius, ergo nec prius.

II. In Hebræo Textu frequenter occurrere *Matres* quas vocant *Lectionis*, ſc. אוי (quibus addunt * nonnulli ה & ע) quæ quoniam non ſunt de *Radice* Verbi,

* *Vide Johan. Morin. Grammat. Samarit.* cap. xiv.

nec

nec voci formandæ ullo modo inserviunt, ideo apponuntur ut lectorem punctis omnino insuetum ad veram pronuntiationem dirigant. Sic א inservit exprimendo *Kametz*, ו *Schurek* & *Cholem*, י *Chirek* &c. cui Argumento sic respondeo. 1. Licet hæ literæ יוא nonnunquam redundare videantur, vel saltem ad lectionem veram in libris punctis destitutis indicandam esse appositæ; non tamen inde sequi, has vocalium vicem subire ac proinde Hebræum Textum punctis Vocalibus antiquitus fuisse destitutum: neque enim huic usui sufficere possunt, mira enim orietur in legendo difficultas: Quod si א valorem *A* vel *E* semper obtineret; si י *I* semper exprimeret, si ו *O* & *U*, multo probabilior foret hæc argumentatio, sed cum longe aliter se res habeat, quemadmodum omnes norunt qui has literas salutarunt, nihil ex hoc argumento tuto concludi posse manifestum est.

י *Tod* enim nonnunquam cum *Schva* vel *Pathach* scribitur, vel etiam alio quopiam vocali, eodem modo se habent reliquæ *literæ Quiescentes* unde minime illis solis inniti debeat aut possit aliquis, ut veram lectionem assequatur, maxime

D vero

vero cum nonnunquam *quiescant*, alias *moveantur*, nunc *Vocalium* vicem sustineant; nunc *Consonantium*.

II. Si vocalium vice fungerentur quas vocant *Matres Lectionis*, Cur non omnibus vocibus adscriptae sunt, cum constet nullam vocem absque vocalibus pronuntiari posse? At innumera in Bibliis occurrunt quæ illis prorsus destituuntur, non sola *Nomina* intelligo, (illorum enim multa esse quæ *Matres lectionis* non recipiunt, omnes norunt) verum etiam alias voces quæ cum *Matribus lectionis* nonnunquam scribi solent, prout constat ex *Masoretharum* adnotationibus, qui voces *Defective* (i. e. absque *Matribus lectionis*) scriptas diligenter observarunt. Omnino impossibile est, ut veram harum vocum lectionem aliquis unquam adsequatur, nisi prius cum punctis legere assuetus sit: postquam vero in hac Palæstra bene se exercuerit, non diffiteor illi non minus in promptu fore libros iis destitutos legere, quam illos qui ea habent adposita.

Hoc solummodo assero, impossibile esse illi qui primum legere didicerit, punctis carere: Quomodo enim absque

voca-

vocalibus legere possit? Hæc res humanarum virium limites longe excedit; quis enim adeo felicem consecutus est memoriam, ut ejusdem vocis, diversas significationes & pronuntiationes (quarum nullum extat vestigium, ideo quod ista vox eodem modo semper scribatur) simul capere possit? res exemplo fiet manifestior. Hæ tres literæ אמר absque punctis scriptæ varie pronuntiari possunt, adeo ut varia significent: vel enim legere possis אָמַר *Dixit*, vel אֱמֹר *Dic*, vel אֹמֵר *Dicens*, vel אֹמַר *Dicam*. Eodem modo דבר quæ diversas obtinet significationes pro varia Punctationis ratione.

Ex. gr.	דבר	*locutus est*	דָּבַר
	דבר	*loquens*	דֹּבֵר
	דבר	*verbum*	דָּבָר
	דבר	*pestis*	דֶּבֶר
	דבר	*loquere*	דַּבֵּר
	דבר	*dictum*	דְּבָר
pih.	דבר	*locutus est*	דִּבֶּר
	דבר	*perdidit*	דִּבֵּר

Si cui hæc vox occurrat sine punctis, quid fit obsecro de *Matribus lectionis*, aut quale lectori subsidium ferent de hujus vocis pronuntiatione anxio & ancipiti? respondebit fortasse nonnullus,

 id

id ex ſenſu & Orationis contextu clarum fore. Poſſit quidem ita fieri, modo claro & diſtincto ſtylo utatur Auctor, quod ſi conciſe & obſcure ſcribat adeo ut ejus ſenſus inveſtigari nequeat, de vocum ſingularum pronuntiatione & ſignificatione miſere ſe torquebit Lector.

Hæc ut melius capiat adhuc inexercitatus lector, unicum exemplum in Lingua vernacula ſubjiciam. Finge itaque libros noſtros abſque vocalibus ſcribi. Qua ratione ac methodo Præceptor uti debet, qui diſcipulum ſuum, horum librorum lectionem docere aggreditur? Verbi cauſa, ſi occurrant hæ literæ *Bll*, quid hinc exſculpet Tyro? cum certum ſit eam vocem ita ſcriptam diverſas vocales poſſe accipere, quæ omnes in noſtra Lingua ſignificationem obtinent: monendus eſt iſtam vocem cum *Pilam* deſignet, ſcribi debere per vocalem *a* & pronuntiari *Ball:* cum *Campanam*, per *e*, & pronuntiari debere *Bell*; cum *Avis roſtrum*, per *i*, & pronuntiari *Bill.* Cum *Taurum*, per *u* ſcribi debere, & pronuntiari *Bull*

Sine

Sine punctis vocalibus.		*Cum punctis vocalibus.*
Bll	Pila	*Ball*
Bll	Campana	*Bell*
Bll	Avis roſtrum	*Bill*
Bll	Taurus	*Bull*

Annon hujuſmodi difficultates Tyronis cujuſpiam menti tenebras offuſuræ ſunt, maxime vero cum non in una aut altera voce ſed in ſingulis fere ſimiles, & ſæpe majores experturus ſit? Idem finge de Lingua Hebraica, (eadem enim eſt ratio) cujus lectionem ſi quis abſque punctis unquam doceri poſſe contenderit, me quidem habet adhuc contraſentientem.

III. Aiunt, *In MSS. Hebræis vetuſtioribus non extare puncta*, *ideo recentiorum Rabbinorum eſſe commentum.* Verum quis hujuſmodi argumentationem ferre poteſt, *Deſunt in libris antiquis*, Ergo, *cum hi libri ſcriberentur*, *non extabant.* Horum MSS. auctoritas nihil contra antiquitatem punctorum probat, cum vix ullum ſuperſit Bibliorum Hebræorum exemplar quod ante annos abhinc octingentos ſcriptum ſit; at pun-

cta longe ante hoc tempus apud Judæos extitisse omnibus in confesso est, unde miror *Isaacum Vossium* inter ea quæ ad punctorum antiquitatem convellendam attulit, hæc scripsisse; *Hoc tantum addam, vidisse me plures quam bis mille codices Hebraicos manu exaratos, nullum tamen unquam vidisse exemplar apicibus istis notatum quod non sex seculis esset recentius.* Quid hinc colligi possit à viro Doctiss. ad sententiam suam adstruendam non satis video; nihil enim probat hoc Argumentum, quod nimis probet. Non enim possimus hoc modo argumentari, *Nullus liber qui sexcentorum annorum ætatem superat, punctis est insignitus*, Ergo, *Puncta à Masorethis Tiberiensibus qui tredecim abhinc seculis floruerunt, inventa sunt:* sic enim nulla erit inter Antecedentem & Consequentem connexio. Sic itaque debet institui argumentatio, *Nullus liber qui sexcentorum annorum ætatem superat, punctis est insignitus*, Ergo *puncta non ante sexcentos abhinc annos inventa sunt.* Quod plane falsum est, & quod nemo unquam adfirmavit. Qui enim antiquitatem punctis maxime omnium derogant,

gant, agnoſcunt, ea † decem abhinc ſeculis à *Maſorethis* textui fuiſſe appoſita.

Sed me reprimo, non enim hanc rem tractare ſtatui. Hoc itaque caput claudet ſententia *Caſparis Ledebuhrii* & *Johannis Gravii*, quorum ille in præfatione שלשלת המקרא *Catenæ ſcripturæ* hæc habet. " *Controverſiam de antiquitate* " *Punctorum non evolvi, quia excedit in-* " *ſtituti mei limites, nec paucarum pagi-* " *narum eſt, confirmor autem indies in ea* " *ſententia, qua Origo eorum ad ipſos ſa-* " *crorum voluminum ſcriptores refertur;* " *illique nova plura atque valida fulcra* " *ſubminiſtrare queo. Argumenta con-* " *traria* Cl. LUDOVICI CAPELLI " *Antagoniſtarum facile principis, non* " *tanti ſunt roboris quanto pinguntur.* *Gravius* vero, in Præfatione Binis *Abulfedæ* Tabulis Geographicis à ſe editis præmiſſa ſic ſcribit. " *At quod no-* " *ſtris ridiculum videtur, Arabibus, Per-* " *ſis, Turcis, quin & Hebræis & Syris* " *plane neceſſarium eſt, qui non ſicuti* " *Græci & Latini vocales eadem linea*

† *Vide Morin. Exercitat. Bibl. is enim ſtatuit Maſorethas Talmudiſtis eſſe recentiores.*

"cum consonis connectunt, sed extra lineam vel supra vel infra locant, aut "omnino festinandi studio abjiciunt; inde maxima in legendis eorum libris difficultas, major in intelligendis labor, "& insuperabilis præcipue in hominum "locorumque nominibus errandi necessitas, quod quam absonum sit primi & "prudentissimi legislatoris sapientiæ, viderint illi qui Mosem legem scripsisse sine vocalibus enixe contendunt. Hæc ille vir Doctissimus, quibus in præsentia assentior; nolo tamen aliquid temere affirmare, quod si posthac sententiam meam mutare mihi visum fuerit, nollem ut quispiam ea quæ hic scripsi mihi exprobret.

CAP.

CAP. V.

De Lingua Chaldaica & Versionibus in ea scriptis: De Versionibus Vet. & Novi Testamenti Syriacis.

EO unde digressus sum revertor, ut Tyronem meum erudiam, qua ratione ea horum studiorum pars, quæ restat exantlanda, feliciter possit absolvi. Non enim pro *Rabbino* aliquis habendus est qui *Biblica Hebraica* legit: restant multa alia legenda, antequam aliquem in his studiis gradum consequi possis.

Quæ ut facilius attingas, lectis iis quæ supra monuimus, tempus monet ut ad legendas *Paraphrases Chaldaicas* sive *Targumim* te accingas; quæ parum difficultatis in se continebunt, cum istius Dialecti gustum ex *Daniele* & *Ezra* semel perceperis.

Tres autem extant in Legem Paraphrases; *Onkeli*, *Jonathanis*, & ea quæ specialiter vocatur ירושלמי *Jerushalmi* sive *Hierosolymitana*, utpote à Judæis Hierosolymitanis vel saltem in Palæstina degentibus scripta. De singulis pauca dicemus.

Inter has Paraphrases optima & maximo judicio elaborata est quæ nomen *Onkeli* præ se fert; ejus enim stylus tersior est & elegantior, & qui ad *Danielem* & *Ezram* propius accedit: nec tot Judaicis referta est fabulis, quot in *Jonathanis* in legem atque etiam in Prophetarum & Hagiographorum Paraphrastibus reperiuntur: Hebræo Textui pressius insistit, & magis ad verbum reddit, resectis longis istis & ridendis expositionum ambagibus, quibus scatent reliquæ Paraphrases (licet ipse quoque *Onkelos* nonnunquam nugetur) hanc itaque primum legas, deinde ad reliquas pergas.

Quod ætatem hujus paraphraseωs attinet, non facile est eam definire; hæc enim omnia à Judæorum fide pendent, quos nemo ignorat, pessimos esse omnium quotquot unquam scripserunt

Chro-

Chronologos. Quidam asserunt, *Onkelon*, tempore *Hillelis* senioris, annis ante Christum circiter XL. floruisse; verum nonnulla sunt quæ assensum meum cohibent; ex quibus est, quod *Hieronymus* harum rerum investigator indefessus, (qui etiam *Rabbinorum* opera in Linguis Hebræa & Chaldæa discendis usus est,) minime ignoraturus fuisset, si talis suo tempore extitisset Paraphrasis; at ejus nunquam in suis scriptis meminit, quod procul dubio toties oblata occasione facturus fuisset (quemadmodum etiam *Epiphanius* & *Origenes*) si modo istiusmodi Paraphrasin extare comperisset. Hunc scrupulum eximere conatur *D. Waltonus* in *Prolegomen.* XII. quæ tamen ibi adduxit mihi minus satisfaciunt; ipsum adi.

Jonathan, is nempe qui vertit *Priores Prophetas* (nam iste Jonathan qui legem vertit recentissimus est nugator) *Onkelo* censetur coævus, at videtur ejus stylus esse corruptior.

Targum Hierosolymitanum peculiarem sibi habet Dialectum, quæ multum à *Babylonica* differt. Cujus hæc res in causa est, quod cum Judæis concedere-

tur

tur ex captivitate Babylonica in patriam redeundi copia, multi eorum reverti renuebant; facultates enim quas in Babylonia acquisiverant, gratiores habebant, quam iis relictis in Judæam reverti; nihilominus Scholas erigebant & Academias, in quibus *Legis* & *Traditionum* studio operam navabant: hi interim qui Hierosolymas reversi sunt, licet Linguam Chaldaicam domum secum abduxerint, paulatim tamen non nihil variationis irrepsit, & deflectere cæpit illorum sermo ab illo nitore & elegantia qua locuti sunt Judæi apud Chaldæos adhuc degentes: hinc orta est duplex Dialectus, prima *Babylonica*, ea nimirum qua usi sunt Chaldæi, & Judæi apud illos habitantes, in qua *Daniel* & *Ezra*, postea vero *Onkelos* & *Jonathan* (licet non pari elegantia) scripserunt; altera *Hierosolymitana* viz. ea qua usi sunt Judæi in patriam reduces: hac scriptum est *Talmud Hierosolymitanum*, de quo suo loco infra agemus. Legas itaque *Targum Hierosolymitanum* quam cautissime, ut percipias & mente capias differentiam quæ inter has duas Dialectos intercedit, sic facilior posthac evadet Talmudis Hiero-

Hierosolymitani lectio, qui liber est admodum intellectu difficilis.

Hagiographorum Praraphrases attribuuntur cuidam *Josepho*, quem *Cæcum* appellant, sunt autem incerti Auctoris, vel forsan plurium; quicunque eas scripsit, *Onkelo* antiquitate & judicio cedit.

Ante omnia compares *Buxtorfii Lexicon Chaldaicum Talmudicum & Rabbinicum*, Opus XXX. annorum, quod ad hæc studia abunde sufficiet.

Harum Paraphrasium optima editio est, quæ extat in Bibliis nostris Polyglottis; plurimi fiunt hæ paraphrases sive *Targumim* apud Judæos, ita tamen ut cum antiquas de *Messia* Prophetias eodem modo quo Christiani, interpretentur (quod earum antiquitatem asserere nonnullis videtur) earum auctoritatem rejicere audeant. Hoc ego expertus sum, nam cum in Epistola ad eruditum Judæum, objicerem, hæc verba Gen. XLIX, 10. עד כי יבא שילה *Donec venerit Schilo*, ab *Onkelo* versa esse עד דייתי משיחא דדילה היא מלכותא ולה ישתמעון עממיא: i.e. *Donec venerit Messias, cujus est regnum, & illi auscultabunt gentes.* Respondit יש. רנג. פירושים ישנים גם הרשים

חדשים המספיקים לנו נ״ר פירושים וקנים ממנו אף שלא יספיקו לאחרים זולתנו׃ i. e. *Habemus interpretationes antiquas, tum etiam novas, quæ nobis citra antiquiores ſatisfaciunt, licet aliis præterquam nobis minus ſatisfaciant.*

Lectis Paraphraſibus, adeas *Novi Teſtamenti Verſionem Syram*, hæc enim Lingua eadem fere eſt cum Chaldaica; differt autem in literarum figura & nonnullis vocum & particularum affectionibus, quas in *Ludovici de Dieu Grammatica* ſupra memorata habes traditas: habent etiam Syri multas voces ſibi peculiares, quæ in Scriptoribus Chaldaicis nunquam reperiuntur; has docebunt Lexica & frequens lectio.

Grammaticam Syriacam primus ſcripſit *Georgius Amira* Maronita è monte Libano, ſed eam nunquam adhuc mihi videre contigit. Scripſit etiam Grammaticam luculentiſſimam in eorum gratiam qui V.T. verſioni Syriacæ incumbunt, vir longe Doctiſſimus D. *Beveregius*, nunc Reverendus admodum Epiſcopus Aſaphenſis. His adjecere poſſis *Erpenii Grammaticam Syriacam*, item *Myricæi*; *Dilheri Rudimenta Linguæ Syriacæ*; qui-

quibus ſubjunxit *Eclogas ſacras, Cellarii excerpta Vet. & Novi Teſtamenti Syriaci cum Latina interpretatione nova & annotatt.* Ejuſdem *Gloſſarium Syro-Latin. Portam Syriæ* &c.

Ediderunt etiam Linguæ Syriacæ Rudimenta *Abrahamus Echellenſis* & *Iſaacus Sciadrenſis* Maronitæ è monte Libano, verum omnia in Lingua Syriaca, hi enim in ſuorum gratiam ſcripſerunt, quibus iſta lingua eſt vernacula, ideo à noſtris non adeundi ſunt hi libri, niſi eum in legendis Syriacis bene profècerint.

Lexicon Syriacum extat *Crineſii*, item *Troſtii* & *Buxtorfii F.* ſed nullum horum V. T. Verſioni Syræ legendæ ſufficit. Multo locupletius eſt *Ferrarii* Jeſuitæ Lexicon *Romæ* impreſſum quod ille Maronitarum quorundam Romæ degentium ope abſolvit. Huic adjicias *Caſtelli Lexicon Heptaglotton,* qui multa in Lexico Ferrariano deſiderata ſupplevit.

Primus qui Novum Teſtamentum Syrum curavit imprimendum, is fuit Cl. *Widmanſtadius* poſt quem multa alia exemplaria juxta ejus editionem excuſa ſunt; Unum prodiit ex officina *Chriſto-*

phori

phori Plantini at Typis Hebraicis, alium edidit *Trostius*, alii quoque editiones ornavere, quibus tamen omnibus defuit *Apocalypsis* & Epistolæ quatuor, viz. *Petri* secunda, *Johannis* secunda & tertia, & epistola *Judæ*. *Apocalypsin* è tenebris eruit *L. de Dieu*. Epistolas vero Clariss. *Pocockius*, adeo ut in Regis Galliæ Bibliis prodierit tota Versio Syriaca Novi Testamenti, quæ postea in nostris Polyglottis recusa est. Ex quibus minutiori forma editionem imprimi curavit *Guthbierus* duobus voluminibus in octavo, cui subjunxit Lexicon breve in Novum Testamentum Syriacum.

V. T. versionem Syriacam in Europa primus vulgavit *Gabriel Sionita* Doctissimus Maronita, qui etiam illi vocales & puncta Diacritica primus adscripsit, libri enim MSS. iis erant prorsus destituti. Hæc versio primum in Bibliis Regis Galliæ exhibita est, postea in nostris Polyglottis. Nulla extant certa vestigia quibus harum versionum antiquitas possit investigari. Ideo unusquisque prout sibi visum fuerit libere pronuntiat: quidam *N. T. Versionem Syriacam* si non ipsis Apostolis saltem illorum coævis adjudi-

judicant, quod evinci credunt ex styli puritate. Aliter sensit *Isaacus Vossius*, aitque, manifestum hoc esse novitatis indicium, quod in ea reperiantur infimæ Latinitatis vocabula, qualiter *Matth.* XXVII,65.) ܩܣܛܘܢܪ̈ܐ *Kestunore*, *quæstionarii*; nec putat *hodiernum quod vulgo legitur exemplar quinque aut sex seculis esse antiquius.* Eodem modo Vet. quoque Testamenti versionem tractat, quam recentem esse probare nititur (dissertationis suæ p. 89.) ex Græcis quæ in ea reperiuntur vocibus, quales sunt γένος, περίζωμα &c. quod nihil omnino probat, nam post victas ab Alexandro Orientales plagas, Græcam linguam late disseminatam fuisse & cum victarum gentium linguis (quod semper accidit) permistam, omnes norunt: quinimo eo processit, ut non solis rebus exprimendis Græca vocabula apposita fuerint, verum etiam sub *Antiocho Epiphane*, viri etiam Græcis nominibus appellari affectarint. *Joseph. Antiquitat.* lib. 12. Ὁ μὲν οὖν Ἰησοῦς Ἰάσωνα ἑαυτὸν μετωνόμασε, ὁ δὲ Ονίας ἐκλήθη Μενέλαος. Jesus *itaque* (*vel* Joshua) *cognominavit seipsum Jasonem*, Onias *vero vocabatur* Menelaus.

Quis dubitare possit ex tanta cum Græcis victoribus consuetudine, Græcas voces Linguæ Syræ sicut etiam aliarum gentium linguis fuisse immixtas? Sed non opus est ut his diutius immorer, cum etiam in libris Hebraicis Vet. Testamenti extent nonnulla Græcæ Linguæ vestigia, quæ tamen contra illorum γνησιότητα & antiquitatem minime probant. 2. Chron. II. 16. occurrit vox רפסדות *Rapsodoth*, quæ procul dubio Græca est. Audi *Grotium* in hunc locum, ubi ait רפסדות *Rapsodoth.* "*Ex Græco* "ῥαψωδία, *quod contexturam carminum* "*significat, translatum ad ratium contex-* "*turam. Non Esdræ tantum sed & Da-* "*nielis temporibus Græca quædam voca-* "*bula in Hebræum Chaldæumque sermo-* "*nem commercio penetraverant.* Unde patet ex hoc argumento nihil contra versionum antiquitatem concludi posse. *Kestunore* autem est ipsa vox, per quam Syrus interpres vertit Κυστωδίαν; tametsi videatur aliquo modo referre *Quæstionarius*, oportebat tamen Virum Doct. probasse vocem *Quæstionarius* eandem significationem unquam obtinuisse cum voce Κυστωδία; quod cum non fecerit, nihil

hil sequitur unde *Novi Test. Vers. Syriacæ* antiquitas labefactari possit.

Mirum est, quod jactitarunt *Syri* de Vet. Testamenti Versionis Syriac. antiquitate, aiunt siquidem Salomonis tempore factam fuisse in usum *Hirami*, *Tyri* Regis, quæ puræ putæ sunt ineptiæ, nec refutatione indigent, sed hæc ab ipsis dicuntur, ut auctoritatem versioni quibus ipsi utuntur conciliare possint. Sed æquum est ut nobis probent, *Hiramum* Phœnicum regem eadem lingua usum fuisse, qua scripti sunt libri quos Syriacos vocamus; ego quidem nullus credo talem unquam extitisse versionem, nulla enim suadent, dissuadent multa, neque enim ulla versione opus fuit *Hiramo*, si Divina oracula legere studuisset, erat enim Lingua Phœnicum, si non eadem cum Chananæa sive Hebræa, saltem proxima. Credenda est illa versio, quæ in nostris Bibliis extat à Christianis Orientalibus fuisse scripta, at à quibus, vel quo tempore, non est facile judicatu.

CAP. VI.

De Textu & Versionibus Samaritanis.

SAMARITANI sunt illarum gentium colluvies, quas abductis in Captivitatem decem tribubus, ex *Hamath*, *Avah*, *Sepharvaim* & *Cutha*, in terram Israelis transtulit *Salmanasser*, II Reg. 17. Legem solam recipiunt, (neglectis Prophetis & Hagiographis) quam, non iisdem Characteribus quibus utuntur Judæi, scriptam habent, sed antiquis illis, quibus ante captivitatem usos fuisse Judæos volunt eruditi. Characteres enim quibus hodie imprimuntur libri Hebraici, Assyrii sunt, quos in captivitate didicere Judæi, & semper utuntur, Antiquiores illos Samaritanis relinquentes.

Hos inter & Judæos est internecinum odium, adeo ut dicant Judæi, *Cuthæo bene precanti noli respondere, Amen.* Proselytos

ſelytos illorum non recipiunt Judæi, uti nec *Karraïtarum* vel *Sadducæorum*.

Vocantur *Cuthæi*, ex regione *Cutha*, unde primum venerunt. *Cutha* autem idem eſt cum *Cuſh*, quæ vox in pluribus verſionibus vertitur, *Æthiopia*, ſed perperam, *Cuſh* enim nunquam denotat *Æthiopiam* in tota Scriptura, quod inter errores Verſionum merito reponi poteſt.

Textus Hebræo-Samaritanus punctorum vocalium & accentuum ornatu omnino deſtituitur, alias nihil differt ab Hebræo Textu, ſunt enim eædem voces, exceptis exemplariorum diſcrepantiis nonnullis, quas collegit *Johannes Morinus*, quæ etiam in Bibliis noſtris Polyglottis exhibentur.

Præter Textum hunc Hebræum, habent Verſiones in Linguis Vernaculis, Samaritana, ſc. & Arabica, (at omnia Characteribus Samaritanis:) Quemadmodum Judæi, ſuas paraphraſes; Samaritana Dialectus, Hebrææ Linguæ & Chaldææ valde affinis eſt, quædam habet ſibi propria, quæ nec in Hebræa nec Chaldæa occurrunt, nonnulla *Arabica* interſperſa. Miratur *Morinus*, unde fieret,

ret, quod Dialectus Samaritana propius ad Hebraicam accedat quam Chaldæa vel Hierosolymitana, cujus rei hanc rationem reddit *Waltonus*, *Prolegom.* XI, 20. Viz. *Judæorum moram longam in captivitate, ipsorum linguam magis mutasse ab Hebraica in Chaldaicam quam reliquorum qui abducti non erant*, quod est omnino verisimile.

Textum Hebræo-Samaritanum, versionem etiam Samaritanam primus edidit *Johannes Morinus* in Bibliis Parisiensibus, scripsit etiam *Grammaticam Samaritanam*, in qua formas vocum peculiares complexus est, cum vocum indice, quem auxit *D. Castellus*. Idem *Morinus* edidit Exercitationes in Pentateuchum Samaritan. Contra hunc scripsit *Simeon de Muis* Ling. Hebr. Professor Parisiensis, & *Johan. Henric. Hottinger. Exercitat. Antimorinian.* quos libros adeat, quicunque de hac re plura scire desiderat.

CAP.

Cap. VII.

De Rabbinis & quomodo tractari debeant.

Explicato jam quibus mediis Linguæ *Chaldaicæ* peritia attingi possit, restant de *Rabbinis* nonnulla adjicienda, quorum multiplex est apud eruditos usus: quibus ea quæ de Lingua *Chaldaica* dicere statueram præmisi, eo nomine, quod frequentes in *Rabbinorum* scriptis occurrant Chaldaismi, frequentes præterea citationes ex *Talmude Masora* & *Targumim*, quæ lectori Linguæ *Chaldaicæ* imperito, multam exhibitura sunt molestiam.

Quod si omnia quæ supra monuimus rite peregeris, *Rabbinorum* lectio sponte sequetur, utuntur enim plerumque vocibus Biblicis nisi urgente necessitate nova novis rebus affingere vocabula coacti sint.

Observandum est autem in legendis Rabbinis, frequentes occurrere abbreviationes; ad quas intelligendas, semper ad manum sint *Buxtorfii Abbreviat. Rabbinicæ.* Duæ vel plures literæ simul junguntur ut videantur esse unica vox, cum singulæ illarum singulas voces repræsentent, e.g. הקב״ה i. e. הקדוש ברוך הוא *Sanctus Benedictus ille*, i. e. Deus. רש״י i. e רבי שלמה ירחי *Meibomius* ait multas in Vet. Testamento extare vocum Abbreviaturas, quales in *Rabbinorum* scriptis occurrunt; libet ex illo specimen exhibere: de voce *Selah*, quæ sæpe in *Psalmis* occurrit, & quæ omnibus interpretibus crucem fixit, hæc habet; "*Sciendum est* τὸ סלה *non esse vocem significativam ut multi arbitrati sunt, sed ut Hebræi vocant* ראשי תיבות *vocum capita seu initia; hoc est notas quas vulgo abbreviaturas vocant, ideoque cum virgulis duabus suprapositis scribendum* סל״ה *singulæ enim literæ vocem significant, ut sit* סב למעלה השר *Redi sursum Cantor: Canendo non perge deorsum, sed converte cantum ab imo sursum, bis ultimam*

“ *mam canendo ad ſignum uſque continua.*
“ *Cantus igitur repetitio his notis præcipi-*
“ *tur, non vulgaris, ab initio incipiendo*
“ *& capite Pſalmi, ſed ab imo quo cantan-*
“ *do perveneras. Qui peculiaris repetiti-*
“ *onis modus Hebræis, peculiarem car-*
“ *minis compoſitionem requirebat.* Hæc ille.

Idem, ad *Jeſaiæ* cap. XXIX, 16. “*pri-*
“ *ma vox* הַפְכְּכֶם *videtur quidem ſignifica-*
“ *tiva eſſe*, mutatio veſtra, *aut legendo*
“ הִפֵּכְכֶם mutare vos) *ſed abſurdus ſenſus*
“ *& qui ſequentibus verbis non reſpondet,*
“ *indicat notas eſſe integri verſus: pri-*
“ *ma enim litera notat interrogativum*
“ ה num? *Secunda verbum* פעל faciens.
“ *Tertia,* כְּלִי vas. *Quarta voculam* כְּ ſicut.
“ *(nam ſignificantes particulæ ſuam notam*
“ *habent) ultima* מעשהו opus ejus, *ſenſus*
“ *ita & carmen reſtituitur, ſed plenius ſi ad-*
“ *datur* ה'י'ה' erit, *quod forſan exciderat, an-*
“ *tequam notis ſignaretur hic verſus, aut*
“ *etiam ſcriptæ fuere primum* הפ״יכם.
Sic vero ſcripſiſſe Jeſaiam.

הפעל כלי יהיה כמעשהו
אם כחמר היצר יחשב
כי יאמר מעשה לעשהו לא עשני
ויצר ליצרו לא הבין

Num

Num faciens vas erit sicut opus suum,
An tanquam lutum figulus reputabitur?
Ut dicat opus factori suo, non fecit me,
Et quod formatum est, formatori suo, non intellexit.

Ingeniosa admodum sunt hæc, si non vera, vera autem esse suadet sensus & connexio. Sunt tamen nonnulli, qui ne minimum apicem in S. Textu mutari sinunt, neque conjecturis locum relinquunt, quod Judaicam sapit superstitionem.

Ut ad Rabbinos, de quibus agere cæpi, revertar, incipiendum est à facilioribus: at primo comparanda sunt necessaria ad *Rabbinorum* lectionem subsidia; alioquin frustra erit, qui in his studiis, iis destitutus versabitur. Ante omnia comparandum est *Buxtorfii Lexicon Rabbinicum*; opus omnium quotquot in isto genere prodierunt absolutissimum, licet potuerit posterorum industria huic quoque nonnulla addere.

Deinde adhibendæ sunt *Concordantiæ Hebraicæ Buxtorfianæ*; absque his, parum in *Rabbinis*, multo minus in *Masora* proficies. Hi enim scriptores, quoties

quoties Textum aliquem citant, nec librum ullum nec caput, multo minus comma indicant, ſed propriis verbis internectunt, nulla interpoſita diſtinctione, unde incredibilis oritur Tyroni difficultas; quod ego, quando in his ſtudiis primum verſari cæpi, non ſine ingenti tædio expertus ſum. e. g. prima quæ occurrunt in *R. Schlomoh Yarhhi* Commentario in *Pentateuchum* verba, hæc ſunt לא היה צריך להתחיל התורה אלא מהחרש הזה לכם ex his nullum potui exſculpere ſenſum; quocunque ea verſarem & volutarem, eodem redibat; erant ſiquidem mihi prorſus inſuperabilia: ignorabam in iſtis verbis citari *Exod.* XII. 1. quod cùm poſtea didiciſſem, planus & perſpicuus apparuit verborum ſenſus, qui eſt, *Non fuit neceſſarium* (Moſi) *inchoare legem niſi ab* (his verbis) *hic menſis vobis* &c. Huic ſimilia multa occurrebant, & cuilibet Concordantiis deſtituto ſufflamen objicient.

Adhuc, omnia ſcripta Rabbinica quæ Latina verſione ornata ſunt, undique corradas; nihil enim cujuſcunque linguæ idiomati aſſequendo tantum confert, quantum accurata verſio. Subjungam

gam itaque in Tui gratiam brevem illorum Rabbinorum catalogum qui Latine versi sunt; quibus diligenter lectis, cujusvis Rabbini, sive impressi, sive Manuscripti, sive punctis ornati, sive iis destituti lectionem fœliciter aggredi possis.

1. *Merceri* Specimen, qui Trium *Rabbinorum* viz. R. *David Kimchi*, R. *Aben Ezræ* & R. *Schlomoh Yarhhi* commentariorum in minores Prophetas priorem partem edidit,

2. *Abarbanelis Præfatio in Leviticum*. Per *Ludovic. de Vieil.*

3. —— *De Summa credendorum*. Per *Guliel. Vorstium.*

4. —— *Commentar. in Hoseam.* Cui præmissum procemium in XII. Prophetas minores cum interpret. & not. per *Franciscum ab Hussen.*

5. *De vita & morte Mosis libri tres.* Interprete *Gaulmino.*

6. *Jachiadæ in Danielem Paraphrasis.* Interprete *Constantino L'Empereur.*

7. *Benjamini Itinerarium.* Eodem interprete.

8. *R. Abraham Ben Peritsol Epistola Viarum sive Tractuum mundi*, liber Geo-

Geographicus: interprete *D. Hyde*, Linguarum Orientalium in Academia Oxonienſi nupero Profeſſore.

9. *Trias Judæorum de Ludo Schachorum:* interprete eodem.

10. *Miſhle Shualim, Parabolæ Vulpium*, Latine verſus & punctis ornatus Juſſu *Athanaſii Kircheri.*

11. *Joſephi Ben Gorion Hiſtoria*, à *Sebaſtiano Munſtero* edita, qui eam credidit antiquam eſſe & genuinam: ſed hanc ejus opinionem refutarunt *Scaliger* in *Elencho Trihæreſii*, & *Morinus* in *Exercitationibus Biblicis.*

12. *R. David Ganz Chronologia*, interprete *Gulielmo Henrico Vorſtio.*

13. *Pirke* vel *Capitula R. Eliezer*, interprete eodem.

14. *Precationes Hebraicæ*, per Paulum Fagium.

15. *Chronicon Hebræorum majus & minus*, interprete *Meyero.*

16. *Series Mundi abbreviata*, interprete *Sebaſtiano Munſtero.*

17. *Johannis Buxtorfii Inſtitutio Epiſtolaris.*

18. *Tela ignea Satanæ*; liber in quo continentur multa à blaſphemis Judæis in

in Salvatorem nostrum virulenter dicta; quæ primus vertit & vulgavit *D. Wagenseil* Literarum Hebraicarum peritissimus.

Hos, quod cæteris faciliores sint præmisi; si in Judæorum ritibus & auctoribus Talmudicis versari cupis, legendus est.

1. *Maimonides.* Hujus Tractatus nonnullos verterunt

1. *D. Prideaux*, Ecclesiæ Norvicensis Decanus eruditissimus, & harum literarum peritissimus, cui multa debeo.

2. *Ludovic. de Vieil* plures.

3. *Dionysius Vossius.*

4. *Gulielmus Vorstius.*

5. *Georgius Gentius.*

2. *Johannis Buxtorfii F. Florilegium Hebraicum.*

3. *Plantavitii Florilegium Hebraicum.*

4. ——— *Florilegium Rabbinicum.*

5. *Drusii Adagia Hebraice.*

6. Liber *Jetzirah* à *Rittangelio* Latine versus, qui ex Judæo factus est Christianus.

7. *Clavis Talmudica*, quæ continet duos Tractatus, in quibus locutiones *Misnæ*

næ & *Gemaræ* explicantur. Has Latinitate donavit *Constantinus L'Empereur.*

Ad libros Grammaticos, Logicos, Philosophicos &c. intelligendos, legendi sunt,

1. *Maimonidis Moreh Nevochim*, interprete *Johanne Buxtorfio F.* Dignus est hic liber, qui sæpiùs cum versione legatur, quod multæ loquendi formulæ & termini Logici & Philosophici Rabbinis usitati in eo explicentur. Quo nomine etiam commendandus est qui sequitur.

2. *Cozri*, Auctore *R. Jehuda Levita*, Arabice scriptus, postea vero in Linguam Hebræam per *R. Aben Tybbon* conversus (qui etiam *Maimonidis More Nevochim* ex Arabico sermone in Hebræum transtulit) cujus versionem Hebræam Latine vertit idem *Buxtorfius.*

3. *Composita Verborum & Nominum Hebræorum*, Auctore *R. Elia Levita*, interprete *Munstero.*

4. *Capitula Cantici, de Literis, Punctis &c.* Eodem interprete.

5. *R. Abraham de Balmes* Grammatica Hebraica cum Latina versione.

6. *Sphæ-*

6. *Sphæra Mundi*, Auctore *R. Abrahami Ben Hhaya*.

7. *Arithmetica secundum omnes species suas*, Auctore *R. Elia Mizrahhi*, i. e. *Orientali*, interprete *Oswaldo Schreckenfuchsio*, cum notis *Sebastiani Munsteri*.

8. *R. Simeonis Logica*, interprete *Sebastiano Munstero*.

Hæ sunt præcipuarum versionum nonnullæ; (qui plura cupit, adeat *Bartoloccii Bibliothecam Rabbinicam* & *Imbonati Bibliothecam Latino-Hebraicam*) his diligenter lectis, tantum aberit ut versione amplius indigeas, ut ipse libros proprio Marte transferre possis. Nunc quomodo procedendum sit, ostendam. Primum vero de Rabbinis & eorum scriptis nonnulla præmittam.

Innumera est Rabbinorum gens, & tamen ex toto acervo, ne decimus quisque liber dignus est qui inspiciatur, qui legatur vero ne centesimus quidem; tot nugis enim referti sunt, ut cordato Lectori nauseam creent.

Neque, qui aliter fieri poterat intelligo, cum plerique eorum in Talmudicis & Cabbalisticis nugis consenuerint, cum sua gente solum versati, omnem erudi-

eruditionem respuentes & aliarum gentium societatem, unde aliquid discere poterant: exceptis forsan uno aut altero viz. Auctore *Cozri* & *Maimonide*; quibus addas *Abarbanelem* aliosque paucos, qui quod disciplinis essent imbuti, & regionibus peragrandis dediti majorem cæteris eruditionem consecuti sunt, quemadmodum illorum opera legenti primo intuitu apparebit.

Extant apud ipsos libri *Medici*, *Mathematici*, *Logici*, *Physici*, *Arithmetici*, *Cabbalistici &c.* quorum nullum teruncio emerim: in omni disciplinarum genere multis parasangis à nobis superantur: non itaque Rabbinos legimus ad scientias discendas, sed quod S. S. nonnunquam dextre explicent, & quod eorum ope, nonnihil quod ad Judaicos ritus pertinet, assequi possimus. Alias res nonnunquam bene tractant, maxime *Maimonides* & *Abarbanel*.

Multi nihilominus ab his studiis deterrentur, quod sibi persuaserint, quodcunque in Rabbinorum libris occurrit, pura puta esse deliria; priusquam itaque ulterius progrediar, proferam unam aut alteram instantiam, ex

quibus lectori constabit, Rabbinos non semper in expositionibus suis delirare. De *Jephthis* filia, nota res est, & quæ plurimos adhuc torquet interpretes. Votum *Jephthis*, Jud. XI, 31. his verbis conceptum est, יהיה ליהוה והעליתיהו עולה *Et erit Domino, Et offeram illud in sacrificium.* Hinc, extra omnem dubitandi aleam positum esse volunt nonnulli, Jephthem, filiam suam Deo immolasse; ad hunc locum *R. David Kimchi* דעת רז״ל בזה ידוע ואא״ז ל פיר׳ והעליתיהו הו״ו במקום או ופיר׳ והיה ליי׳ הקדש אם אינו ראוי לעולה או העליתיהו עולה אם ראוי לעולה וכמו זה הו״ו מכה אביו ואמו ויפה פיר׳: i. e. Notum est quid de hac re „ senserint Rabbini nostri beatæ memo-„ riæ, sed Pater meus B. M. interpreta-„ tur, non per ET, sed VEL, ut sen-„ sus sit. *Erit Sanctum Domino*, viz. „ si non sit sacrificio idoneum. VEL, „ *offeram illud in Sacrificium* viz. si huic „ usui aptum sit. *Vau* autem hoc sen-„ su occurrit Exod. XXI, 15. מכה אביו „ ואמו percutiens Patrem suum ET ma-„ suam, pro, VEL matrem suam. Est „ autem interpretatio venusta. Hæc

Kim-

Kimchius, quibus ſi quis eorum, qui contrariam ſententiam amplectuntur, aſſenſum neget, ad rem tamen appoſita eſſe, fateatur neceſſe eſt. II. Samuelis XXIV, 23. הכל נתן ארונה המלך למלך ubi noſtra verſio, *All theſe things did Araunah* as *a King give unto the King*: i. e. Hæc omnia dedit Araunah *tanquam* Rex, Regi. Quod interpretantur nonnulli, *munifice*, *liberaliter* μεγαλοπρεπῶς: Male. Recte *Kimchius*, qui ad hunc locum Hæc habet, מלך היבוסי היושב בירושלם היה כי אף בימי דוד היה היבוסי בירושלם כמו שנ שארו שם משכבשוה בני יהודה כמו שכתוב וישב היבוסי את בני יהודה עד היום הזה: i. e. *Fuit Rex Jebuſæorum Habitantium Jeruſalem, nam adhuc etiam in diebus David fuerunt Jebuſæi in Jeruſalem, nam relicti erant, ex quo tempore ceperunt eam filii Jehudæ, quemadmodum ſcriptum eſt* (*Joſuæ* XV, 63.) *& cohabitant Jebuſæi cum filiis Jehudæ ad hunc uſque diem.*

Inter ſcriptores *Rituales* primas obtinent *Moſes Kotzenſis* & *Moſes Maimonides*. Quorum poſterior, omnium quotquot à *Joſephi* temporibus vixerunt Judæorum, longe fuit eruditiſſimus.

F 2 Om-

Omnia quæ ſcripſit (excepto ſtupendo illo opere יד חוקה *Yad Hhazakah* & epiſtolis nonnullis) idiomate Arabico vulgavit, quorum nonnulla à Judæis utramque linguam callentibus Hebraice reddita ſunt, at multa ejus opera nunquam verſa ſunt, ideoque Judæis occidentalibus nunquam viſa. Floruit ille teſte *Abulpharagio* annis abhinc ultra quingentis, obiit enim Anno *Hegjræ* DCV. i. e. *Chriſti* MCCVIII. erat Matheſeωs, Medices, & diſciplinæ Peripateticæ conſultiſſimus: ſtupendi ingenii vir, qui etiam in Talmude adeo erat verſatus, ut rudem iſtam molem, & inconditam farraginem in ſuo יד חקוה optima methodo digeſſerit & explicarit.

Grammaticos quoque habent & *Criticos*, Quales *R. Aben Ezra*, *R. David Kimchi*, *R. Elias Levita*. *R. Abraham de Balmes* &c. Obſervandum eſt autem Judæos artem Grammaticam ex Arabum libris hauſiſſe, unde fit, quod verbum פעל in Grammaticis ſuis pro verbi perfecti Paradigmate propoſuerint; quemadmodum omnes Arabum Lexicographi & Grammatici فعل. At in hac re male imitati ſunt ſcriptores Arabicos,

פעל

פעל enim mediam habet *Gutturalem*, quæ *Dagesch forte* non recipit, & proinde *Conjugationum Gravium* affectiones explicare nequit, (Arabum autem Gutturales non minus per *Teshdid* duplicantur quam reliquæ literæ) hoc cum animadverterent recentiores Grammatici, loco פעל substituerunt פקד reservatis tamen conjugationum nominibus, quæ omnia ab antiquo Paradigmate פעל *Paal* desumta sunt, ut *Niph-al*, *Pi-el*, *Hiph-il*, *Hoph-al. Hithpa-el.*

Quod *Historicos* & *Chronologos* ipsorum attinet, non sunt optimæ notæ, ne quid iniquius dicam; apud eos celeberrimi Auctores sunt *R. David Ganz*, & Auctor libri *Jouchasin*, quos si quis consulat, verum esse quod dico statim reperiet. Solennes sunt ipsis ἀνιστορησίαι & ἀναχρονισμοὶ, cujus testis est *Jachiadæ* in *Danielem* Paraphrasis.

Controversiam raro tractant, neque enim reliquas gentes ad suam religionem convertere ipsis curæ est, exstant tamen nonnulli ipsorum tractatus, in quibus virus suum in Sadducæos & Christianos exspuunt: qualis est *Lipmanni Nizachon*. Extant præterea duo vel tres

Nizachones alii ejusdem fere farinæ, non enim tam argumentis quam probrosis verbis adversarios petunt. Unus qui recte disputare novit, est clarissimus ille Judæus, suæ gentis longe eruditissimus, qui *Amicam* cum *Limborchio Collationem* instituit; ille enim in hac re omnibus suis palmam præripuit.

Hæc dicenda duxi, ut aliqualem de *Rabbinis* notionem conciperes, & melius intelligeres, quinam sint, & quo loco habendi; nunc quo ordine legi debeant paucis expediam.

Aggrediendus est primo *Kimchius*, ejus enim stylus ad Biblicum proxime accedit; postquam in hoc paululum exercitatus fueris addas *Aben Ezram*. Hi duo Grammatica sæpe tractant, quæ caute imprimis legenda sunt, ut dignoscas vocum significationes, & plane scias, quando *Grammatice* usurpantur, quando vero aliter. Ex. gr. כבד frequenter in Rabbinorum scriptis occurrit, significat autem aliquid *Grave*, & etiam *Conjugationes* quas *Graves* appellant, i. e. quæ mediam *Radicalem* habent *Daghe-schatam*, sunt autem *Piel* & *Pual*. Quod si lector minus attentus has significatio-

nes

nes confunderet, in explicanda Auctoris sui mente misere laboraret.

Salomonis Yarhhi stylus maxime concisus est & brevis, unde Tyronibus lectio evadit difficilior; hæc itaque quæ præmisi, diligenter observentur.

R. Levi Ben Gershom mire luxuriatur, excurrit sæpe in *Ethica*, *Mathematica* & *Philosophica*; idcirco ejus lectio paululum differenda est, tantisper dum *Kimchium* & *Aben Ezram* legeris.

Absolutis Bibliorum Commentariis, quod est facillimum *Rabbinorum* genus, reliquos adeas Latina versione donatos, nondum enim sine cortice natare poteris: eorum lectionem repetas; qua absoluta, possis quosvis Rabbinos (exceptis Talmudicis, de quibus capite sequenti) legere.

Non tamen *Rituales Rabbini* (ne ipso quidem *Maimonide* excepto, etsi stylo adeo eleganti & facili mentem suam complexus est, ut à quovis Hebraice perito intelligi posse videatur) prius intelligendi sunt, quam aliquam saltem in Talmude consecutus sis peritiam; subinde enim ad *Talmudem* provocant, & obscure alludunt minime indicato lo-

co, unde iſta verba ſumpſerint; unde magnus exſurgit in iis intelligendis labor.

Si de Judæorum *Cabbala* inſtrui velis, legas quæ *Johannes Picus* Comes Mirandulanus & *Reuchlinus* de hac re ſcripſerunt. Quid ſit hæc ſcientia ut intelligas, audi *Buxtorfium P.* qui de illa ſic loquitur: "*Talis ſcientia eſt arcana my-*"*ſtice & ænigmatice propoſita, de rebus* "*Divinis, Angelicis, Theologicis, Cæ-*"*leſtibus & Metaphyſicis, de Angelis &* "*Spiritibus, miris Symbolis & Arcanis* "*docendi modis involuta.* Hæc ille: his adjicias *Cabbalam Denudatam* impreſſam *Sultzbaci.* † Tres autem ſunt *Kabbalæ* ſpecies, de quibus Tyronem monere, operæ pretium duxi, in Commentariis enim Rabbinicis (maxime vero in *Baal Hatturim* & *Kimchio*) frequenter occurrunt, ſunt autem merus *Rabbinorum* in vocibus & literis, luſus: vocantur, נוטריקון גמטריא תמורה *Notaricon,*

---

† *De his Cabbalæ ſpecibus conſule Buxtorf. Lexicon Rabbinic. maxime vero Schickardi Bechinath Happeruſhim p.* 62. *ubi eas fuſe & erudite explicat; dignus eſt iſte liber qui à capite ad calcem prius legatur quam ad Comment. Rabbinic. lectionem te accingas.*

Gema-

Gematria, *Temurah*. Harum prior viz. *Notaricon*, in hoc consistit, quod singulas literas alicujus vocis faciant רשי תיבות *Capita Dictionum* ex. gr. *Baal Hatturim*, Exod. XXI, 1. ad hanc vocem ואלה, sic scribit ואלה נוטריקון וחייב אדם לחקור הדין i. e. *Vox* ואלה *veelleh est Notaricon* i. e. cujus literæ has voces designant, hoc modo, ו, וחייב *& teneatur*, א, אדם *homo*, ל, לחקור *ad indagandum*, ה, הדין *Judicium*. Deinde pergit ad omnia ejusdem versus vocabula eadem arte explicanda.

Est vero *Gematria, Cabbalæ species, quæ ex diversarum vocum æquali numero eundum sensum colligunt*.. ut *Gen*. XLIX, 10. quoniam hæ voces יבא שילה *venerit Schilo* eundem numerum conficiunt cum משיח *Messias*, hinc per hanc artem colligunt, quod cum dixit Patriarcha *Donec venerit Schilo*, perinde esse, ac si dixisset, *Donec venerit Messias*. Numerum autem eundem conficiunt hæ voces hoc modo:

י	10	מ	40
ב	2	ש	300
א	1	י	10
ש	300	ח	8
י	10		
ל	30		
ה	5		
	358		358

Notandum eſt autem, in hac arte nullam haberi finalium rationem, ך enim non denotat 500. ſed 20. & ſic de reliquis.

Altera *Gematriæ* ſpecies eſt, qua colligunt rerum vel verborum numerum antehac dictorum vel factarum, ex.gr. *Deut.* III, 23. occurrit hæc vox, ואתחנן *Et precatus ſum*, numerus harum literarum ſimul additarum eſt 515. hinc colligunt Doctores Gematrici, precum numerum, quibus *Moſes* Deum exorare conatus eſt, ut Terram Sanctam ingredi ſibi permitteret, totidem fuiſſe.

Temurah, eſt Cabbalæ ſpecies, qua voces biſecando vel alio quodam modo mutando myſticum ſenſum exculpunt, quaſi divideres hanc vocem *ſuſtineamus*, in tres voces ſignificativas *ſus-tinea-mus*, ſic ex בראשית faciunt בר אשית filium

ponam,

ponam, & ברא שית *Creavit fundamentum.* De quibus consule *Schickardum* loco supra memorato.

Restant pauca de *Masora* dicenda, illorum opus quando inchoatum fuit, nequit facile determinari; noli putare totam *Masoram* in *Bibliis Buxtorfianis* vel *Venetis* esse impressam; longe aliter se res habet; extant multa & magna Observationum *Masorethicarum* volumina MSS. non omnia ab iisdem elaborata, sed diversis temporibus: illa quæ in Bibliis *Bombergianis* & *Buxtorfianis* extat, à quodam *R. Jacob Chajim* collecta fuit, continetque breves & succinctas in sacram paginam Adnotationes; ubi incredibili diligentia & labore improbo observarunt illi Critici quoties unaquæque vox occurrit, quoties singulæ voces scribuntur *defective* (i.e. *absque* ו aut י) vel *plene* (i.e. cum illis.) Observarunt etiam non solum commatum, sed & literarum numerum; in nonnullis libris indicarunt, quænam sit illius libri litera media. Literas majusculas & minusculas quæ in Textu occurrunt, diligenter notarunt, omnia denique fecerunt quæ ad Sacrum Textum integrum conservandum quicquam

quam conferre ipsis visa sunt. Commendabilis revera est illorum industria, non tamen diffitendum est, magna ex parte esse inutilem: quod si *Masorethis* innotuisset conficiendarum *Concordantiarum* ratio, tanto labori magna ex parte pepercissent, cum ex solis *Concordantiis* quicquid ex *Masora* sperari possit, haurire queamus.

Qua ætate floruerint *Masorethæ*, inter eruditos nondum convenit, certum est, post puncta vocalia textui apposita: qui itaque Punctorum antiquitatem defendunt, *Masorethas* statim a diebus *Ezræ* opus suum inchoasse arbitrantur: qui vero Punctorum novitatem adstruunt, eos post Talmudicos Doctores vixisse affirmant; hanc opinionem strenue tueri nititur *Morinus* in *Exercitationibus Biblicis*, is enim *Eliam Levitam* sequitur, qui in tertia Præfatione libro quem מסרת המסרת *Masoreth hammasoreth* inscripsit, Masorethas recentes esse affirmat. Huic contrarius est *J. Buxtorfius* P. qui in *Tiberiade* sive *Commentario Masorethico* de hac re docte disseruit; hunc librum diligenter legas, in quo luculenter docebere, quinam fuerint, quid de eorum

rum opere ſentiendum ſiti, qua denique ratione, ad ipſius lectionem & intelligentiam facilis pateat aditus.

Cap. VIII.

De Talmude.

Hoc penſo abſoluto, poſtquam jam in *Rabbinis* paulum profeceris, & in *Targumim* & *Maſora* fueris aliquantiſper exercitatus, vereor ne te omnibus numeris eſſe abſolutum tibi perſuadeas; at noli te decipere: reſtat alius labor adhuc exantlandus, qui omnes quos adhuc ſuperaſti ſimul ſumptos exæquat ſaltem, ſi non ſuperat; ſtudium *Talmudis* intelligo, quod magnas quidem difficultates continet, ſed tanto facilius ſuperandas, quanto majorem in iis, quæ ſupra docuimus, diligentiam adhibueris.

Eſt autem *Talmud* traditio oralis, continens *ritus*, *ſacrificiorum mactandorum rationem*, aliaque plurima, quæ in Lege Moſaica omittuntur; hujus originem ab ipſa

ipso *Mose* arcessunt Judæi, (*Pharisæi* nimirum, quales sunt omnes qui in his terris habitant, *Samaritani* enim & *Karraitæ* illud tanquam merum figmentum rejiciunt) ajuntque ab ipso Deo *Mosi* è monte *Sinai* fuisse traditum; censent siquidem absurdum esse *Mosen* recipiendæ legi, quæ tam paucis pagellis comprehensa est, totos quadraginta dies, totidem vero noctes incubuisse: minime, sed eo tempore Deus non solum illum docuit legem *scriptam*, sed & *oralem*, rationem sc. & modum, quo singula rite peragi deberent, ne quæ apud posteros demum oriretur dissensio; † *Josuam* vero defuncto *Mose Senioribus* istis reliquisse, de quibus dicit scriptura (*Jos.* XXIV, 31.) *Et omnibus diebus Seniorum qui post Josuam diu vixerunt*, illos vero suis posteris, sic deinceps per tot secula propagatas fuisse istas traditiones, usque ad tempora Ezræ & virorum *Synagogæ Magnæ*.

Quod si ista traditio divinitus *Mosi* tradita fuit, quare obsecro necesse fuit ipsi Deum consulere (*Num.* XXVII, 5.

† *Maimonides Præfat.* in Seder Zeraim *à Pocockio Latine versa*, & *Editioni Misnæ* Surenhusii præfix.

cum

cum filiæ *Zelophæ* de hercifcunda hæreditate quererentur, prout recte objicit erudito Judæo D. *Limborchius*, ne plura adferam exempla? Certe iftiufmodi traditionis ope, potuiffet Mofes iftiufmodi litem, vel aliam quamvis, quæ inter Ifraelitas oritura effet, dirimere.

Sed hæc difcutere non eft hujus loci; dicemus itaque quid fit *Talmud* & quibus mediis legi poffit & intelligi.

Talmud eft Juris Civilis & Canonici corpus, juxta cujus decifiones peraguntur omnia Judæorum facra, omnes dirimuntur lites: Conftat autem duabus partibus, *Mifnah* fc. & *Gemara*, de quibus figillatim agemus.

Mifnah eft Textus fuper quo fundantur omnes *Ritualium Rabbinorum* difputationes, hunc nunquam fcriptum fuiffe (fed traditione orali à majoribus acceptum) volunt Judæi, donec tandem Annis poft excidium Hierofolymitanum fecundum † Judæos 120. (licet proba-

† *Leo Modena, Hiftor.* de Gli Riti Hebraici. *Part. fecund. cap.* 2. *Circa l'anno* 120. *doppo la diftruttion del tempio, fu' un Rabino nomato Rabi Juda, che per la fantitá della fua vita preffo gl' Hebrei fu' cognominato Rabeno Acados, che vol dire Maeftro noftro fanto, grand' amico d' Antonino Pio Imperator Romano, e richiffimo, quale vedendo che per la traf-*

verit

verit *Morinus*, cum longe recentiorem fuisse) ortus est quidam *R. Jehuda*, quem propter vitæ singularem sanctimoniam & morum integritatem *Rabbenu Hakkadosh* i. e. *magistrum nostrum sanctum* nominarunt; erat autem vir stupendæ eloquentiæ, Linguæ & rituum Hebræorum longe peritissimus, opibus affluens, pietate insignis, qui veritus ne deletis jam Hierosolymis, (quibus maxima rituum pars erat alligata) Judæis extorribus & inter alias gentes degentibus, tam pretiosus intercideret Thesaurus & penitus periret; has traditiones primus scribi curavit, quarum scriptione nullum opus erat, dum adhuc extarent Hierosolymis Legisperiti & Sacerdotes, qui illarum traditionum, quibus quotidie assueti fuerant, & quas à patribus acceperant, æque erant periti, ac nostri *Presbyteri* in sui muneris officio obeundo. At eversis jam Hierosolymis, magna ex parte inutiles redditi sunt Judæorum ritus; cui damno caute prospexit *R. Jehuda*, ideo scribendæ *Misnæ* manum admovit,

migratione si andava dimenticando quelle legge à bocca, scrisse tutti li pareri, e ordini e tradittioni de Rabini sin al suo tempo, in un libro assai compendioso che chiamó Misná.

quam

quam ſcripſit ſtylo admodum puro & Hebræo, at brevi & conciſo, unde magna oritur in ea intelligenda difficultas.

Hanc in ſex ordines diviſit, dividuntur præterea iſti ſex ordines in capita LX. quos Judæi *Maſichtas* appellant. Habes rationem *Miſnæ*, quæ ut primum à *R. Jehuda* vulgata eſt, apud omnes Judæos tam Orientales quam Occidentales magnam auctoritatem ſtatim obtinuit, à quibus pro authentico traditionum ſuarum exemplari, ſemper habita eſt & adprobata, adeo ut illam ipſi etiam Legi præferre non vereantur, licet multa contineat, quæ non ſolum nec volam nec veſtigium in Lege habeant, ſed quæ ipſius aperto & literali ſenſui palam vim ferant, propter quæ merito à Salvatore noſtro ipſorum proavi ſæpius erant reprehenſi.

Priuſquam ulterius progrediar, proferam viri Doctiſſimi & harum literarum peritiſſimi de *Miſna* judicium, † qui ſic ſcribit. " *Hoc tamen notandum nullum prorſus Purgatorii mentionem in ſcriptis Judaicis occurrere Gemara antiquiorem; quæ juxta ipſorum*

† *Windet. de Vita Functorum Statu* p. 199.

"*sorum annales condita est circa annum*
"*Æræ Christianæ quingentesimum. Nihil*
"*ea de re* Targumim, *nihil* Philo, *nihil* Jo-
"sephus, *nihil* MISHNA, *scriptum soli-*
"*dum atque antiquum, quod post sacras li-*
"*teras in summo pretio ab Ecclesiasticis*
"*merito haberi debet. Quamvis enim* R. Je-
"huda Sanctus *opus illud circa sesquicen-*
"*tesimum Christi concinnaverit, asserunt*
"*tamen Judæi, præsto illi fuisse majorum*
"*suorum Chartas in subsidium: quod quam*
"*sit verisimiliter dictum non different fa-*
"*teri qui illud opus perlegerunt; ejus enim*
"*pleraque pars istiusmodi est, ut omnino*
"*per meram traditionem sine scirpti ul-*
"*lius adminiculo eousque conservari posse*
"*non opiner, sin quis objiciat, in istiusmo-*
"*di discrepare illum librum aliquoties à*
"*sacris literis & ipso Josepho, habebitur*
"*ejus ratio alibi.*

Hæc ille de *Misna*, quæ de *Zohare* sequuntur, quoniam instituto nostro aliena non sunt, adscribam. "*Extat fate-*
"*or* Purgatorii *luculenta mentio in loco*
"*Zoharis quem produximus, sed istum li-*
"*brum multo serius scriptum fuisse con-*
"*vincunt* λέξις ϗ πϱάγματα: *ineptissime*
"*enim Chaldaissat, recensitis subinde hi-*
"*storiis*

"*storiis rerum multo recentiorum, quam* "*ut possit ad annum Christi quingentesi*-"*mum pertingere. Liber ergo Juchasin* "*illud opus R. Simeoni f. Jochæi tribuere* "*non est ausus.*

Eo unde digressus sum revertor. Defuncto *R. Jehuda* in hac Palæstra se exercuerunt Rabbini posteriores ut *Misnam* brevi & obscuro locutionis genere involutam explicarent, & Notis ornarent; de quibus *Maimonides* in *Præfat. Arabica Seder Zeraim* hæc habet, vertente *Pocockio*: "*Nullus interim erat cœtus, qui* "*non de ea disquireret, atque ex ea con*-"*clusiones eliceret, sensusque ejus abditos* "*rimaretur usque tempus* Rabinæ *&* Rab. "Ase, *qui sapientum* Talmudicorum *ulti*-"*mi fuerunt, quorum* Rab. Ase *se ad* "*scribendum accinxit, cum visum ipsi* "*esset idem facere in verbis eorum qui po*-"*steriores erant* Rabbenu Sancto, *quod* "*ipse in eorum qui post* Mosen *fuerant,* "*verbis fecerat. Omnia ergo eorum, qui* "*aliquid [hoc in genere] protulerant, di*-"*cta, de Lege disquirentium sententias,* "*[eandemque] explicantium interpreta*-"*tiones collegit, & traditionum verita*-"*tem probavit, eisdem in unum reda*-

"*ctis*, *omniaque hæc ſcientia*, *pro ea* "*quam ipſi conceſſerat Deus animi capa*"*citate*, *& amore ſcientiæ*, *comprehen*"*dit. Compoſuit ergo* Talmud &c. Hucuſque *Maimonides*. Scriptos autem *R. Aſe* ſolummodo triginta quinque tractatus reliquit, at *Mar Emar* & *Mar filius R. Aſe* † *inde ubi Raf Aſſe ſubſtiterat*, *laborem ſuum orſi ſunt*, *& rem totam ad umbilicum perduxerunt*. Hos Commentarios*Gemaram* appellant; his additur alius *R.Schlome Tarhhi* Commentarius & Diſputationes, quæ ab ipſis תוספות *Toſaphot* ſive *Additiones* appellantur, ex his omnibus conflatur illud corpus *Talmudicum*, quod vulgo circumfertur. Hoc eſt illud *Talmud*, quod apud Judæos tanti æſtimatur,cujus lectioni quotidie incumbunt, & in quoRabbinulos ſuos erudire ſatagunt. Ubicunque vel apud *Rabbinos* vel *Chriſtianos* ſcriptores, *Talmudis* mentio ſit, ibi intelligendum eſt *Talmud* hoc de quo locuti ſumus viz. *Babylonicum*, niſi ſpeciatim indicetur *Hieroſolymitanum*. Quod ut melius capias, ſciendum eſt,poſt *Miſnam* à *Rabbi Jehuda* ſcriptam Ju-

† *Buxtorf. Synag. Judaic. c.* 3.

dæos

dæos Occidentales i. e. *Hierosolymitanos* idem fecisse in ea explicanda quod fecerunt *Babylonici*; horum explicationes collegit *Rab. Ase* quemadmodum jam docuimus; illorum vero *R. Jochanan* (sive *Johannes*) *Hierosolymitanus*, inde *Talmud Hierosolymitanum.* Hoc *Talmud* non eam apud Judæos consecutum est auctoritatem, quam *Babylonicum*, est enim liber intellectu admodum difficilis & obscurus. Præterea *Rabbini Hierosolymitani* post *R. Jehudæ* obitum, ob eruditionem inter Judæos non tam celebres fuere quam *Babylonici.*

Hucusque quid sit *Talmud* & unde originem derivarit expendimus, restat explicanda methodus, quam si iniveris, ejus lectionem assequi possis. Ante omnia memento *Talmudis* lectionem minime illi esse aggrediendam, qui in *Rabbinis* & *Lingua Chaldaica* non bene fuerit exercitatus; caveas itaque & diligentiam adhibe, ne his mediis destitutus, onus insuperabile in te suscipias.

Quemadmodum ubi de *Rabbinorum* lectione superius egi, Latinas versiones te adire monui; ita hic quoque idem consilium repeto, alioquin absque his

subsidiis tardum admodum & difficilem & sæpe interruptum senties progressum.

Agam itaque imprimis de *Misnah*.

Hujus versionem tam diu ab erudito Orbe expetitam nobis dedit Clariss. *Shurenhusius*; cum integris *R. Maimonidis* & *Obadiæ Bartenoræ* Commentariis, opus auro contra non charum.

Sed quoniam multi sunt qui his literis operam dant quibus desunt facultates ad tam pretiosam supellectilem comparandam, interim ne nihil agas, eos tractatus compares, qui seorsim excusi sunt, & quorum sumptui ferendo esse possis. Hi sunt qui sequuntur.

1. *Misnæ Pars, Ordinis primi* ZERAIM *Tituli septem* cum interpretatione & Notis *Gulielmi Guisii*.
2. *Tractatus Middoth*, interprete *Constantino l'Empereur*.
3. *Codex Joma*, interprete *Sheringhamio*.
4. *Sota*, interprete *Wagenseil*.
5. *Sanhedrin & Maccoth*, interprete *Cocceio*.
6. *Codices Schabbat* & *Eruvin*, cum notis *R. Mosis Maimonidis & R. Obadiæ Bartenoræ* interprete *Sebast. Schmidt*.

&

& ſi qui alii tractatus occurrant, quibus diligenter lectis, in legenda *Miſnah* ſatis expeditus evades: hoc ſolummodo obſerves, Miſnæ ſtylum adeo conciſum & obſcurum eſſe, ut ſine Commentarii ope ægre intelligi poſſit. *Criticorum Commentatorum* optimus eſt *R. Schem Tob.* Auctoris autem mentem & ſenſum dextre explicant *R. Obadiah Bartenora* & *R. Moſes Maimonides.* Horum duorum commentaria cum textu ſimul impreſſa ſunt in Fol. *Bartenora* vero, & *Schem Tob* una cum Textu 3. Vol. in 4to. Scriptum autem fuit *Maimonidis* Commentar. Arabice, ideoque plenius & melius ejus ſenſum percipies, ſi eum, ea qua ſcripſit lingua, legeris, quam ſi verſioni Hebraicæ fidem habueris, quæ ſæpe ab auctoris ſcopo aberrat.

Extat editio *Miſnæ* in 8vo: *Amſtelodami* impreſſa An. MDCXLVI. quæ puncta vocalia habet adpoſita, quæ Rabbinus quidam in ſuæ gentis uſum addidit, in qua licet ſæpius erratum ſit in punctis, poſſit tamen iſtiuſmodi ſubſidium hærentem ſæpe expedire.

His inſtructo indies facilior evadet *Miſnæ* lectio, cujus ſenſus ut melius aſ-

sequi possis, diligenter legas *Constantini l'Empereur Clavem Talmudicam*, eam quoque difficilem, sed cujus lectio multum lucis legendæ *Misnæ* possit affundere.

Hæc de *Misnah* dicta sunto; Restat *Gemara*: est vero *Gemara* omnis ineptiæ officina, tot ridiculæ in ea continentur fabulæ, tam egregia mentiendi licentia, tam absurdæ traditiones, ut si quis nasutus eam inspexerit, videbitur in *Augeæ* stabulo versari; verum utut hæc se res habeat, possit etiam ex hoc sterquilinio aliquid lucri elici. " † *Multæ enim illic* " *historiæ admiscentur, ex quibus sacra* " *scriptura aperiri, & temporum series* " *illustrari possit, multa item vaticinia,* " *quibus Judæorum pertinacia frangi &* " *refelli queat, cum ex illis Messiam du-* " *dum venisse, eundemque non alium quam* " *Christum fuisse, possit evidenter demon* " *strari.* Non itaque indignam censemus *Gemaram* de qua pauca moneantur.

Scripta est magna ejus pars Lingua *Chaldaica*, corrupta admodum & à primitivo decore & elegantia flexa, qua usi sunt sequioris ætatis Rabbini, ejus stylus admodum difficilis est & conci-

† *Sheringham. Præfat. in Cod. Joma.*

sus,

ſus, nonnunquam turbatus & interruptus, ut lectorem maxime attentum poſtulet, & preterea Linguæ Chaldaicæ cum primis gnarum: quod particulares vocum formas attinet, quæ à *Talmudicis* uſurpantur, illæ nullo negotio diſci poſſint, modo adhibeas *Buxtorfii Lexicon Chaldaicum* & *Rabbinicum*, itemque ejuſdem *Grammaticam Chaldaicam*, quibus addere poſſis *Adriani Relandi Analecta Rabbinica*.

Parva pars eſt *Gemaræ*, quæ Latine vertitur; ideo dum legendis libris incumbis qui de *Rabbinis* & *Talmude* agunt, ſi quæ loca occurrant Latine verſa, ea notula quadam diſtinguas, quæ diligenter lecta, te in *Gemaram* paulatim introducent.

In fine *Sanhedrin* & *Maccoth* Tractatuum quos edidit *Cocceius* habes excerpta *Gemaræ* Latine verſa; in aliis quoque libris multa ejuſmodi reperires.

Quod ſi compendioſam & facilem diſcendi viam cupias, lectis diligenter *Bibliis*, *Targumim*, & iis de quibus ſupra egi *Rabbinis*, frequentanda eſt Judæorum Synagoga, conducendus eſt eruditus quidam Judæus, quo prælegen-

te brevi tempore eas difficultates ſuperare poteris, quæ proprio Marte pergentibus infinitam pariunt moleſtiam. Hinc quoque prompte & expedite legendi (imo etiam loquendi) rationem, & veram pronunciationem aſſequeris: at cum *veram* dico, non eam intelligo, qua uſi ſunt Judæi florentibus adhuc Hieroſolymis (eam enim à Judæis exulibus & in diverſas plagas ſparſis mutatam eſſe vix quiſpiam dubitare poteſt) ſed eam qua utuntur hodierni Judæi & harum literarum periti; alioquin ſi vel loquaris vel legas coram Judæo aut extero quovis non poſſis intelligi, neque tu illius pronunciationem viciſſim capies; hoc Anglis meis præcipue dictum eſto, quorum pronuntiatio, (cum quod Gutturalium uſum ignorent, tum quod Accentum in penultima vel etiam antepenultima plerumque collocent) niſi viva voce doceantur, à pronuntiatione Hebraica quam maxime differt.

Quatuor ſunt *Talmudis* editiones, *Veneta*, *Baſileenſis*, *Amſtelodamenſis*, & *Francofurtenſis ad Oderam* verum omnes caſtratæ, priores duæ à Cenſoribus: Tertia ab ipſis Judæis, qui reſecant quæ in Chri-

Christianam Religionem & Salvatorem nostram blasphema sunt, nec audent in nostris regionibus vulgare. Posterior *Francofurtensis* cæteris magis integra est. Narravit mihi *R. Abendanon* hodie Londini habitans, se audivisse editionem à Judæis *Thessalonicæ* (hodie, *Salonicæ*) esse impressam, quæ omnia quotquot ad *Talmudem* pertinent, contineret. Sed illa editio (si modo talis uspiam extitit) in nostris Bibliothecis nusquam comparet.

Cap. IX.

De Judaicis Antiquitatibus.

De Græcis & Romanis Antiquitatibus multi multa scripserunt, quorum exemplum alii imitati, *Judaicas* quoque *antiquitates*, scribere aggressi sunt, at longe dispari successu.

Longe enim dispar est horum ratio; Græcorum enim & Romanorum auctores antiqui, & qui florente adhuc utroque imperio scripsere, supersunt; restant

præ-

præterea innumeri nummi, ſtatuæ, ædificiorum ruinæ, monumenta, inſcriptiones, aliaque id genus innumera, ex quibus multa erui poſſunt, quæ ad veterum Græcorum & Latinorum mores penitius inveſtigandos plurimum conferre poſſunt.

At Judæorum veterum (illos intelligo qui ante Captivitatem *Babylonicam* vixerunt) nihil exceptis Bibliis ſupereſt, imo ne illorum quidem recentiorum qui à temporibus *Ezræ* & *Nehemiæ* uſque ad deletas à *Tito Hieroſolymas* ſuperfuerunt. Nam ex quo tempore funditus everſæ ſunt *Hieroſolymæ*, per univerſum fere orbem ſparſa eſt Judæa gens, quæ ſive quod innumeris malis eſſet oppreſſa, ſive quod ſui lucri quam conſervandæ majorum memoriæ magis ſtudioſa fuerit, quicquid librorum vel rerum antiquarum penes ſe fuit, non ſine ingenti Reip. literariæ damno interire paſſa eſt. Nonnulla traditionum rudera apud ſe ſervant, ex quibus quicquid Judaicarum Antiquitatum hodie ſcriptum eſt, conflatur. Unde facile conjicere poſſimus in quali caligine circa veterum Judæorum mores & ritus verſemur.

Nihil-

Nihilominus multi hodie adeo ſunt animati,ut ſi *Godwinum,Spencerum,Lightfootium*, *Cunæum*, *Bertramum*, *Sigonium*, *Buxtorfii Synagogam Judaicam*, alioſque id genus auctores legerint (multo vero magis ſi *Miſhnam*, vel Rabbinos Rituales ſemel inſpexerint) putant ſe in veterum Judæorum ritibus adeo accurate verſari, ut cum ipſo *Moſe* & *Aharone* modo revixerint, poſſint contendere; cum certo certius ſit, hos quos ſupra laudavi auctores, licet eximii viri fuerint & harum rerum, quatenus fieri potuit, conſultiſſimi, nihil de his rebus ſcripſiſſe, quod non ex *Rabbinorum* hauſerint libris, horum autem nullus (quod ſciam) annos octingentos ſuperat, quæ res eos Antiquorum rituum teſtes reddit prorſus inidoneos.

Quid ſi *Miſnah* annis Chriſti circiter CCCC. ſcripta eſſet (vel etiam circa Annum Chriſti CXX. ut volunt Judæi, vel ſecundum alios, CL.) norunt omnes jam ante Chriſtum natum, Herodis tempore (& etiam ante eum) Dei cultum, à *Moſe* præceptum, mirum in modum fuiſſe mutatum, & à primæva puritate deflexiſſe, multas quoque Phariſæorum opinio-

opiniones & ritus veterum Judæorum praxi fuisse superinductos: quod si florentibus adhuc Hierosolymis multa fuerint immutata, quale damnum passa est harum rerum memoria, Judæis jam extorribus & ad extremas orbis plagas agitatis?

His addi possit, maximam Judæorum rituum partem Templo Hierosolymitano fuisse adligatam, hos autem una cum Templo interire necesse fuit; quomodo itaque iis Rabbinis fidem adhibere possimus quorum ne proavi quidem templum unquam viderunt?

Erant autem Judæorum ritus adeo minuti & exacti, ut parum abfuerit, quin aliquid omitteretur, etiam dum adhuc quotidie essent usurpati; quanto vero magis probabile est, eos oblivioni fore tradendos, cum jam illorum nullum esset opus?

Ne verô censeas in *Talmude* reperiri posse vel in *Ritualibus Rabbinis* illud quod periisse ego prorsus existimo, considerandа sunt, quæ de *Talmudis* ætate supra dixi, ubi etiam monui, multa etiam in *Mishnah* extare, quæ purus putus sunt Rabbinismus, nec ullum in Lege habeant funda-

fundamentum, ea nihilominus eſt Traditionum Judaicarum pars defæcatiſſima; quid itaque de *Gemara* ſentiendum, cujus ineptiæ quamvis pudere & pigere poſſit? Neque enim deciſiones *Gemaricæ* tam quæ à patribus acceperunt referunt, quam quæ fuerint Rabbinorum iſtius ætatis ſententiæ: nam poſt ſcriptam à *R. Jehuda Miſhnam*, Judæorum Doctiores in Academiis ſuis *Pombedeitha*, *Nahardea* & *Sora* de rebus in *Miſhna* contentis diſputare ſoliti ſunt: convenire nonnunquam ſolebant ſeniores & Rabbini, & quæſtiones de Lege & Ritibus Moſaicis proponere, ubi acriter res fuerit utrique ventilata, tandem in hanc vel illam partem determinabant, ex quibus deceſionibus conflatum eſt corpus Talmudicum.

Hos longo intervallo ſubſecuti ſunt Rabbini rituales qui lectis priorum diſputationibus rem totam in meliorem methodum & formam redigere conati ſunt; horum maximus eſt *Maimonides* (qui quod ſupra monui circa Annum Chriſti MCC. floruit) cujus ſolius opera Rabbinorum Bibliothecæ toti præſtant.

Jam

Jam judicare possis, qualis ex horum scriptis veterum Judæorũ erui possit cognitio, qui post deletum templum & dispersam gentem multis seculis vixerunt; qui non tam quid res fuerit, quam quid ipsi sentiebant, scripserunt: & tamen hi sunt quibus unice innituntur illi, qui de rebus Judaicis scribunt, qui tamen avide à nonnullis leguntur, quasi totos Judæorum mores & consuetudines, prout se antiquitus haberent, describerent; at longe falluntur istiusmodi lectores. Junonem nimirum quærunt, amplectuntur nubem; fingunt sibi se legere Judaicas Antiquitates, cum revera legunt Rabbinorum nugacium offutias.

Modeste itaque Doctissimus ille Judæus *Leo Modena* librum suum inscripsit, *La Vita, Costumi, Riti, & Osservanze de Gl' Hebræi* [DI QUESTI TEMPI] *i.e. Hujus ætatis*, non ausus sc. asserere, omnes illos ritus quibus assueti sunt hodierni Judæi ab antiquis Judæis fuisse usurpatos; etsi enim Judæi videantur suorum rituum tenacissimi, multas tamen habent *seniorum* traditiones quibus ipsi Legi vim inferunt, quod etiam ab ipso Salvatore nostro docemur; multas quo-

que

que omittunt quæ ab antiquis Judæis frequentissime usurpabantur, cujus rei ipse *Leo Modena* indicium fecit *Part.* IV. Cap. 7. ubi de *Leviratu* agens hæc habet, *Soleva gia esser piu lodato il pigliare* &c. i. e. *Olim laudabilius fuit Leviram ducere quam ab ea liberari: nunc vero crescente malititia hominum, liberationem quærunt propter fines quosdam humanos, ut vel formosam vel dotatam magis, ducant. Paucissimi sunt, maxime inter Germanos & Italos qui eam ducant.*

His omnibus simul sumptis, plane apparet subsidia quæ ex *Rabbinorum* libris petuntur, non omnino sufficere ad Judaicas Antiquitates investigandas. Quod si quis mihi in hac re fidem adhibere nolit, expediat mihi obsecro quid sit *Urim* & *Thummim* de quo toties loquuntur Rabbini & scriptores alii: magnam profecto apud me gratiam inibit. Quod si nequit, quemadmodum probe novi non posse, agnoscat mecum Rabbinos non tam res ipsas, quam suam proferre hariolationem.

Nihilominus, utcumque ad Judaicas antiquitates scribendas non suppetant

idonea auxilia; minime tamen eo nomine negligenda est *Rabbinorum* lectio, aut aliorum Auctorum qui de his rebus egerunt, & qui *Rabbinorum* opera abusi sunt; multa enim utilia continent, multos Majorum suorum ritus omni procul dubio servarunt: sæpe etiam fæliciter conjiciunt, unde ex eorum scriptis multa S. scripturæ loca lucem fœnerari possint.

Scripsit *Car. Sigonius Rempublic. Hebræorum*, erat autem vir rei Politicæ peritissimus, cujus etiam scripta teste Doctiss. *Graevio* plus ad Romanas antiquitates & leges intelligendas conferent quam cujusvis alius. Hic in summa Literarum Hebræarum imperitia, Judæorum tamen res quatenus fieri potuit fæliciter assecutus est.

Cunæus quoque edidit *Rempublic. Hebr.* Hic fuit acerrimi ingenii vir, in legendo *Maimonide*, *Tacito*, *Polybio*, *Josepho* aliisque optimæ notæ auctoribus versatissimus, his addidit Jurisprudentiam; ejus liber scriptus est stylo eleganti & conciso, in quo multa ab aliis omissa fæliciter supplevit.

His addendi sunt *Spencerus*, *Bertramus*,

mus, *Schickardi Mishpat Hammelek*, *Buxtorfii Synagoga Judaica*, (qui tamen liber crebris scatet ineptiis & videtur ad irridendos Judæos scriptus) *Leo Modena*, qui brevem quidem & succinctam at plenam & ab omnibus eruditis approbatam hodiernorum Judæorum rituum reddidit rationem.

CAP. X.

De Linguæ Arabicæ studio & ejus usu.

HACTENUS in fonte & rivulis fuisti versatus, nunc in Oceanum tendes, ubi neque profunditatem bolo metiendi, neque conspiciendi littoris dabitur facultas. Linguam intelligo *Arabicam*, quam non immerito Oceanum dixerim, quippe quæ alias Linguas Orientales in se recipit, non secus ac fluvios absorbet Oceanus.

Noli expectare te nunquam in hac

Lingua eam promptitudinem fore adsecuturum quam in aliis adsequuntur multi, (nisi Orientem visas vel saltem Arabe magistro usus fueris) fieri possit ut eam in Lingua Habraica obtinere possis peritiam, ut quemvis Rabbinum nullo negotio legere possis; idem fieri possit in Lingua *Chaldaica* & *Syriaca*, item in *Græca*, licet admodum copiosa sit & vocibus compositis abundet. Non ita se res habet in Lingua *Arabica*, tot enim occurrunt voces & multiplices significationes: adeo ut cum hujus Linguæ studio decem annos impenderis, plurimosque auctores legeris, in nonnullos scriptores incurrere possis, quorum ne tres quidem lineas simul sumptas prompte & expedite legere possis & intelligere. Noli tamen deterreri; quemadmodum enim Oceani profunditas non obstat quo minus pretiosissimos ejus Thesauros & Margaritas expiscari possimus, ita neque Linguæ Arabicæ immensa copia lectori diligenti erit impedimento, quo minus ea assequi poterit, quæ & sibi & reipublicæ literariæ erunt emolumento. Hoc quomodo fieri possit, plana & facili methodo docebimus.

H Prius-

Priuſquam tamen hujus Linguæ diſcendæ rationem tradam, æquum eſt, ut explicem qualis ſit ejus uſus, & quamobrem aberuditis excoli tantopere meruerit.

1. Sciendum eſt multas Hebræarum *Radicum* ſignificationes deperditas in Lingua Arabica eſſe repertas, quæ res interpretandæ Scripturæ multum confert: cum enim Græcos vel Latinos Auctores legimus, in quibus aliquid difficilius occurrit, quod vocis alicujus vera & genuina ſignificatio ignoretur, in promptu eſt alios ejuſdem gentis ſcriptores, qui eadem voce uſi ſunt, adire; unde lucem fœnerari poſſimus & alicujus vocis vel Phraſεως ſignificationem inveſtigare. Longe aliter ſe res habet in Lingua Hebraica, in qua unica Biblia exſtant, in quibus multa ſunt ἅπαξ λεγόμενα, aliaque obſcura, quorum ſenſus, ſi modo adhibeatur acre judicium ex Lingua Arabica erui poſſit. Lingua enim Arabica, idiomate licet & flexione ab Hebræa differat, plurimas tamen vocum radices cum Hebræa habet communes, (cujus rei ſexcenta exempla proferre poſſem, modo opus eſſet) quarum radicum ſignificationes plurimas

 quæ

quæ adhuc in Arabiſmo obtinent, apud Hebræos olim in uſu fuiſſe omnino eſt veriſimile, maxime vero ſi conſideremus has ſignificationes textui magis eſſe congruas quam quæ ex Hebræis Lexicographis petuntur. Quod etiam *Rabbinorum* doctiores animadverterunt, maxime *Aben Ezra*, qui hujus Linguæ ope in ſuis commentariis frequenter uſus eſt, ex quo apparet quantus ſit Linguæ Arabicæ in S. Scriptura interpretanda uſus, quod ne cui dubio eſſe poſſit, adeat Clariſſ. *Pocockii*, *Portam Moſis* à ſe editam, ubi in explicandis S. Scripturæ textibus Lingua *Arabica* adeo fæliciter uſus eſt, ut nemo amplius dubitare poſſit, quin magnum huic rei hæc Lingua adminiculum ſubminiſtret.

Addo multas in Hebræis Lexicographis extare voces *derivativas*, quæ cum *Primitivis* nullam omnino habent affinitatem, eo nomine quod *Primitivarum* ſignificatio ab ipſis Linguæ Arabicæ neſciis ignoretur: cujus rei, quod brevitati conſulam, quatuor ſolummodo exempla proferam. 1. in Hebræis Lexicographis ſcribitur Radix שמל cujus ſignificatio apud ipſos ignoratur. Inter voces ab hac radice

radice derivatas occurrit שמלה *vestis*, at hujus vocis origo manifesto constat ex voce Arabica شمل quæ significat *comprehendit undique*, *continuit*, *cinxit & circumdedit*, quod vestis proprium est.

2. אנש Apud Hebræos significat *Hominem* a radice אנש qui significat *ægrum esse*, *ægritudine affici*. Perperam; vera hujus vocis origo à Lingua Arabica accessenda est, nempe à Radice انس *Anasa*, *Societatem iniit*. Horum cum his studiis operam primum navare cæpi indicium fecit D. *Martinus Eagle*, quondam in his literis præceptor meus, vir indefessæ industriæ, meliore sorte dignus.

3 חרף apud Hebræos significat *exprobrare*, *probris afficere* &c. hinc derivant חרף *Hyems*, *quasi probrum terræ dicta*, at חרפ *Hhoreph hyems* originem habet in Lingua Arabica; nempe à خرف *charapha* decerpsit, ideo quod *Hyems* folia arborum & fructus superstites decerpat.

4. אליה Apud Hebræos significat *caudam*, hujus vocis derivationem ar-

cessunt ab אלה *execratus est, juravit, pejeravit.* Quomodo cohæreat vox primitiva cum sua derivativa non video; longe meliora te docebit Lingua Arabica in qua الي significat *carnosos clunes habuit*, الية *Alyah* vero *caudam Ovis* vel *arietis*; non omnem, sed duntaxat *magnam illam & adiposam* quales in ovibus Orientis spectare est, quarum minimæ X vel XII libras nostrates pendent, nonnullæ etiam XL libras pondere excedunt. De quibus Vide *Golii Lexicon* in voce الي & *Ludolph. Historiam Æthiopicam.*

Hinc abunde liquet, quantus sit linguæ Arabicæ in interpretandis Hebræis usus: nihilominus caute in hac re procedendum est, ne dum Scripturam interpretari conemur, plano ejus sensui vim inferamus; proferam itaque quæ de hac re scripsit vir doctissimus *Joan Clericus* (*Art. Critic.* Part. 1. cap. 4. Sect. 3. §. 10. ubi ait, "Verum hic cavendum, ne putemus hasce Linguas ita ἐκ παραλλήλου sibi invicem respondisse, ut eædem radices eandem in omnibus, aut affinem semper

" ſemper ſignificationem habuerint. Sæ-
" pe evenit ut una eademque vox in Lin-
" guis affinibus varia ſignificet, ut ex
" Linguis hodiernis ſatis conſtat. Ex-
" empli cauſa, Linguæ Anglica & Belgi-
" ca multa habent affinia, quæ idem ſig-
" nificant; ſed non pauca quæ plane di-
" verſa, quorum unicum exemplum af-
" feram, unde de cæteris judicium ferri
" poterit. Apud Anglos, *underſtand*
" ſignificat *intelligere*; apud Belgas, *on-*
" *derſtaan moliri*, *niti*, item *ſubſiſtere.*
" Eadem voce prognata *underſtanding*
" *intellectum* Anglis ſonat; Belgis *onder-*
" *ſtandt* eſt *auxilum*, *adminiculum*. An-
" glis *underſtanding* eſt *ſolers etiam* &
" *peritus*; Belgis *onderſtandig* eſt *auxi-*
" *liarius*. Si interiiſſet Lingua Anglica,
" ſique unicus ſupereſſet liber Anglicus,
" & paulo plures Belgici; hi quidem u-
" ſui ſæpe eſſent intelligendo Anglico,
" ſed poſſent etiam in errorem interdum
" incautos conjicere; ut ſi vox allata lo-
" cis tantum aliquot extaret, quorum ſe-
" ries tam ferret ſignificationem *auxilii*
" ex Belgica Lingua, quam *intellectus*,
" facile eo delaberentur, qui Belgice
" ſcirent, ut *auxilium* interpretarentur:
" in

" in *Psalm.* CXIX. 34. leguntur hæc " verba in Translatione Anglica, *Give " me understanding and I shall keep thy " Law*, cum hæc verba significent, *Da " mihi intellectum, & ego observabo legem " tuam*; verti ex Belgica Lingua posset, " *geeft my hulp, da mihi auxilium.* Idem ulterius explicare possum ex Lingua Italica (si modo meum pannum viri eruditi purpuræ intertexere liceat) quam ex Latina originem suam derivasse omnes norunt; sunt tamen in ea multæ voces, quas easdem esse cum Latinis certum est; longe tamen diversam obtinent significationem. ex. gr. *Tristo* idem est cum *tristis*; vox Latina *tristis* est mœstus, at Italica *Tristo*, est *pravus, veterator, vafer, versutus.* Sic *Morbido* derivatur à Latina *Morbidus*, at *morbido* est *mollis, lævis* &c. Pergit vir doctissimus. Itaque si quid simile " in interpretandis Hebraicis tentetur, " magna attentione utendum; nec quic- " quam affirmandum quasi exploratum, " quod non res ipsa & series orationis " manifestissimum faciat.

2. Secunda Linguæ Arabicæ utilitas in hoc consistit, quod præstantissimi Rab-

Rabbini in hac ſcripſerunt; ſciendum eſt autem Orientales Judæos quibus hæc Lingua eſt vernacula, illa magis uti quam Hebraica, ideo quod copioſior ſit, & ad exprimendos ſenſus accommodatior. Hinc *Maimonides* omnia ſua Arabice ſcripſit, niſi excipias יד חזקה quod Hebraice edidit. Auctor quoque *Cozri*, *Abu Zachariah*, *R. Joſeph*, *Maimonidis* diſcipulus, *Auhbado'zzaman Abu'l Baracat*, *R. Tanchum*, *R. Abraham Ben Dior*, aliique plurimi Arabice ſcripſerunt, qui plerumque etiam doctiores fuerunt quam Rabbini occidentales.

3. Alius hujus Linguæ uſus eſt ut *Alcoranum* legamus, qui liber cum θεοπνευςίαν ſummam præ ſe ferat, & ingentem Orbis partem ſibi ſubjecerit, minime indignus eſt qui à Theologo legatur, cujus eſt non ſolum vera noſſe, verum etiam falſa, eaque refellere & redarguere poſſe. Cui etiam curæ eſſe debet illarum animarum ſalus quæ ab hac impoſtura faſcinantnr; ſed cum de hac re in præfatione ſatis fuſe egerim, nolo quæ ibi dixi hic repetere.

4. Sed neque contemnendum ſubſidium conferet hæc Lingua ad mendas

quæ

quæ in Chartis nostris Geographicis occurrunt corrigendas; possemus multa emendare ex collatione Geographorum Arabum cum antiquis, & nostris. Profecto mire sibi plaudit hæc ætas quasi Chorographiæ summum apicem attigerit, at noli falli, longe aliter se res habet; ubicunque enim nostri Geographi de *Africa* & *Asia* agunt (nisi pauca loca excipias omnibus nota) non tam illud quod pro comperto habent proferunt, quam quod somniant. Multo satius est ipsos adire harum regionum incolas, quibus rerum & locorum suorum cognitio non est deneganda, quales sunt *Abulpheda*, Auctor Nobilissimus *Hamæ* in *Syria* Princeps: *Ebn Edris*, perperam vocatus *Geographus Nubiensis*; aliosque plurimos, ex quorum collatione multæ locorum *Longitudines* & *Latitudines* corrigi possint.

5. Præterea, res populorum Orientalium minime negligi debent, quæ enim tam pace quam bello fecerunt, cognitu admodum digna sunt; sive stupendam illam & Christianæ religioni pestiferam rerum mutationem consideremus, cum grassante *Mohammedanismo* brevi tempore

pore non solum *Palæstinam*, *Persiam*, *Syriam &c.* verum etiam *Ægyptum* & magnam *Africæ* partem usque ad fretum *Gaditanum*, totam fere *Hispaniam*, *Rhodon* etiam occuparint *Saraceni*; sive insignes illos quos in humanioribus literis fecerunt progressus regnante *Almamune* eique succedentibus *Chaliphis*. Profecto quod *Arabum* aliorumque Orientalium res gestas attinet, in magna caligine versamur; Europæi enim illorum res non prout debuerant resciverunt: operæ pretium foret, illas ex Arabicis libris eruere: nam *Mohammedanismi* ortum & progressum, & *Chalipharum Mahometem* succedentium nemo quod sciam accuratam pertexuit historiam. (cujus specimen me editurum spero, modo Deus vitam, otium & facultates largiatur) scripsit *Fullerus* noster *Belli Sacri Historiam*, cujus maximam partem *Gulielmo Tyrio* debet; at neque *Gulielmus Tyrius*, neque *Fullerus* quicquam rerum aut literarum Arabicarum intellexerunt, unde necesse est eos in multis fuisse hallucinatos. De *Memlucorum* in *Ægypto* Imperio, de *Jengis Chan* & *Hulacu* (qui vix minores de O-

riente quam ipse *Alexander* triumphos egerunt) vix audivimus.

Notum est *Tamerlanem* (*Timurum* vocant Arabes) *Bajazethem* [*Abu Yezid*] cavea ferrea inclusum secum circumtulisse; sed unde ortus fuerit, & quomodo res tantas gesserit, ignotum est; quæ omnia notu digna ex libris *Arabicis* (addam & *Persicis*) erui possint. Sed & mira sentiunt Europæi de *Mohammede*, quæ in libris Arabicis nec volam habent nec vestigium; multas etiam recipiunt de eo traditiones quæ nulli innituntur fundamento; quibus etiam deceptus est vir summus & de Rep. literaria optime meritus *H. Grotius*: is enim librum scripsit nulla ætate delendum *De veritate Religionis Christianæ*, cujus sexta pars *Muhammedanismi* refutationem continet, in qua inter alia refert *Mahumetem* columbam cicurem ita instruxisse, ut ejus auri advolaret, quo medio plebs ejus sequax persuaderi possit, istam columbam Spiritum esse Dei, forma corporea cælitus delapsum; qua re nihil falsius est aut à veritate magis alienum; minime enim illud omissuri essent scriptores *Muhammedani* qui nihil commi-

nisci

nifci verentur, quo Pfeudoprophetæ fuo auctoritatem conciliare poffint. Cum itaque Cl. *Pocockii* verfionem Arabicam *Veritatis Chriftianæ Religionis* legerem, miratus fum illum hanc rem Arabice non vertiffe; poftea vero incidi in ejufdem *Specimen Hiftoriæ Arabum*, ubi ait, fe *Grotium* ipfum interrogaffe, utrum hanc fabulam ex Arabum libris, an vero ex Chriftianis haufèrit; *Grotium* vero confeffum fuiffe, fe nihil iftiufmodi in Arabicis fcriptis unquam reperiffe, fed Chriftianis folis in hac re fidem habuiffe; vifum eft itaque Cl. *Pocockio* hunc locum omittere, ne Arabibus ludibrium deberemus.

Quinetiam plurima alia habemus, quæ de populis Orientalibus perperam referuntur; omnino itaque operæ pretium foret ipfos *Arabum* libros adire, ex quibus aliquid certius difcere queamus.

Reftat alius Linguæ Arabicæ ufus; fc. ut Græcos auctores ab Arabibus eruditis verfos corrigere poffimus; nam *AlMamunis* tempore qui circa Annum Chrifti DCCCXX. floruit, multa Græcorum auctorum exemplaria corrafa funt, & in Linguam Arabicam verfa; at nemo inficias

cias ibit, tunc temporis multo correctiora Græcorum auctorum extitisse exemplaria, quam quæ doctorum manibus hodie teruntur; unde sæpe fæliciter corrigi possint in nostris editionibus admissa menda. Non hoc dico quod Paraphrastes Arabicos, ubicunque à Græcis exemplaribus dissentiant quempiam sequi velim; nam abunde patet illos quod in Lingua Græca non satis Criticè & accurate versati fuerint, in multis fuisse hallucinatos: nihilominus quivis acri judicio præditus, ex codicum diversis lectionibus auctoris sui sensum adsequi possit, & locos alias deploratos fæliciter corrigere.

Libet de hac re *Salmasii* sententiam proferre; qui in Præfat. Tabulæ *Cebetis* ab *Elichmanno* ex Arabico Sermone Latine versæ (cum de mendis quæ in Græcorum auctorum versionibus Arabicis occurrunt, paulo ante disseruisset,) hæc habet: *Non propterea tamen avocare velim studiosos ab Arabica lingua perdiscenda eo maxime nomine quod Arabum de Græco translationes tam vitiosæ ac pravæ reperiantur. Habet illa lingua quo utilitatem suam commendet, etiamsi illi fu-*

stule-

ſtuleris tranſlationum fidem. Ne iſtæ quidem, quamvis aliquammultis partibus parum fidæ, tamen contemnendæ ſunt. Explicant enim multa vocabula τεχνικὰ *Græca quorum expoſitionem in noſtris Lexicis Græcis fruſtra hodie quæras. Ut reapſe multis locis comperi in conferenda verſione Arabica* Dioſcoridis, *quæ apud* Ebenbeitarem *extat, cum Græco textu. Præterea cum ante octingentos plus minus annos illæ verſiones procuratæ ſint, melioribus libris & antiquioribus earum auctores ſæpe uſi videntur, quorum ope multa emendari in melius poſſunt in noſtris libris. Quod etiam ex eodem Dioſcoride Arabice verſo plus mille locis deprehendi. Non raro quippe etiam ubi male mentem auctoris expreſſerunt, cognovi tamen, rectiorem lectionem in libris ſuis eo tempore inveniſſe, quam quæ hodie in noſtris extant.*

Hæc de Arabicæ Linguæ utilitate dicta ſunto. Eſt autem hæc lingua omnium quotquot extant longe copioſiſſima; infinita fere ſunt ejus vocabula, quæ quoque multiplices obtinent ſignificationes; tredecim habet conjugationes quæ diverſam plerumque ſignificationem habent; ejus anomaliæ ſunt pauciſſimæ;

 nam

nam in Grammatica Arabica plurimi Canones occurrunt, quibus nulla eſt exceptio: idcirco licet à nonnullis propter immenſam verborum copiam omnium Linguarum habeatur difficillima, nihilominus quod Grammaticas regulas attinet, omnium (excepta forſan Perſica) facillima eſt & ſimpliciſſima.

CAP. XI.

Quomodo inſtituendum ſit Linguæ Arabicæ ſtudium.

DE Arabicæ Linguæ utilitate & genio ſatis diximus, reſtat explicare, quibus ſubſidiis aliquis inſtructus, hujus linguæ ſtudium aggredi debeat.

Quod Grammaticam attinet, ejus generis optima ſunt quæ ſcripſit *Erpenius*, qui Europæorum primus fuit qui in his literis aliquid ſerio præſtitit, licet ante eum extiterint multi, qui Arabicorum auctorum verſiones Latinas edidere, pleræque tamen illarum tot mendis ſcatent,

tent, ut nesciam utrum auctores verterint an vero potius corruperint.

Scripsit ille primo *Linguæ Arabicæ Rudimenta*, cui subjunxit etiam brevem praxin in Caput *Alcorani* decimum octavum; postea edidit *Grammaticam Arabicam*, cui subjunxit nonnullas Arabum sententias, & *Locmani fabulas* Latine versas: hujus Grammaticæ optima editio est quam curavit *D. Golius*, qui præter praxin ab *Erpenio* editam, multa ipse addidit, quæ hujus Linguæ studiosis magnum adferent adjumentum.

Extant quoque *Guadagnoli Rudimenta Linguæ Arabicæ*, Romæ impressa, Fol. *Erpenius* hujus linguæ Thesaurum promisit, in quo omnia quæ ad Linguæ Arabicæ pleniorem institutionem desiderari videbantur exhibere decreverat; quod opus ad umbilicum jam ante obitum perduxerat, at immaturo fato correptus illud nunquam edidit.

Huic Grammaticæ addas ejusdem auctoris *Alphabetum Arabicum*, (in quo, scribendi modum ab Arabibus in libris Manuscriptis usurpatum explicat, & abbreviationes indicat) est enim Linguæ Arabicæ lectio Tyronibus difficilis propter

 lite-

literarum nexus & notas Orthographicas; huic Alphabeto praxin addidit in Caput *Josephi*, hoc est XII. *Alcorani.*

Postquam in legendis Characteribus satis fueris exercitatus, totam attente percurras *Erpenii* Grammaticam, antequam vero ad praxin accedas, formæ nominum & Verborum memoriæ tenaciter infigantur; discas etiam *Canones* eadem ratione quam præscribit *Erpenius* in suo *Consilio*, his expeditis ad Praxin te accingas, hoc quod sæpius monui semper observato; illa Tyroni primum esse aggredienda quæ Latine versa sunt; multas enim difficultates & idiomata continet hæc Lingua, quæ nisi in ea bene fueris exercitatus, Lexici & Grammatices ope expediri nequeunt. Legas itaque quam attentissime poteris; idiomata & obscuriores loquendi formulas, *Proverbia*, allusiones ad res & mores Orientalium diligenter excerpas, & in libro in hunc finem compacto recondas; neque quæ punctis vocalibus & notis Orthographicis destituuntur prius legere aggrediaris quam in iis libris qui eas notas habent appositas bene fueris versatus.

Auctor itaque sum ut post lectam

quam dixi praxin in manus ſumas Veteris & Novi Teſtamenti verſionem Arabicam quæ in Bibliis noſtris Polyglottis imprimitur, quæ tam vocalibus & notis Orthographicis ornatur, (quas ſumma diligentia adſcripſit *Gabriel Sionita*) quam verſione Latina: fateor in hac verſione nonnunquam deſiderari purum Arabiſmi idioma (*Chriſtiani* enim & *Judæi* qui in Orientalibus plagis degunt, & à quibus hæ Sacræ Scripturæ Verſiones exaratæ ſunt, licet ipſis quoque Lingua Arabica vernacula ſit, non tamen tam caſtigate & correcte ſcribunt quam ipſi *Mohammedani*) nihilominus magno uſui erunt notæ Orthographicæ & Latina verſio; præterea hinc eam verborum copiam haurire poſſis quæ ad faciliorum auctorum lectionem te introducent; Linguæ nitorem, idioma & elegantias ex aliis auctoribus poſthac percipies. His addas *Carmen Tograï à Pocockio* Latine verſum, cujus etiam ſingulas voces ſecundum regulas Grammaticas examinavit.

His probe intellectis totum *Alcoranum* legas, in quo multa occurrunt difficilia, ne dicam inexplicabilia; nihilominus

nus propter frequentes ejusdem rei repetitiones quæ in illo occurrunt, maxima ejus pars nullo negotio possit intelligi.

Binæ sunt *Alcorani* editiones impressæ, prima *Hinckelmanni* impressa *Hamburgi*, altera *Maraccii* impressa *Patavii*. *Hinckelmannus* Textum solum edidit, *Maraccius* vero integram versionem cum *Refutatione*: Capita nonnulla verterunt viri eruditi, nempe *Christianus Ravius*, *Erpenius*, *Golius*, aliique quæ seorsim comparare possis; antiquæ versioni à *Bibliandro* editæ minime inniti possis, neque *Gallicæ* à *D. du Ryer* editæ, multo minus *Anglicanæ* ex *Gallica* factæ; is enim interpres quæ ex *Arabica* in *Gallicam* male versa accepit, ex *Gallica* in *Anglicam* multo pejus transtulit; nihilominus non omnino diffiteor illam versionem in plurimis locis hærentem posse expedire.

Lecto semel *Alcorano*, ejus lectionem repetas, ut voces & idiomata memoriæ altius inhæreant, observandum est autem, *Alcoranum* apud Orientales pro *Arabismi* norma semper fuisse habitum, quem stylo adeo eleganti scriptum esse cre-

credunt Arabes; adeo ut impium, vel ſaltem mente captum eum arbitrentur, qui ejus elegantiam æmulari audeat; hinc plerique *Arabum* auctores ad *Alcorani* ſtylum, ſuum quoque conformant & componunt, & ad illum (nullo citato loco) frequenter adludunt, unde ejus intelligentia ad legendos auctores reliquos plurimum conferet. Hæc autem illorum de *Alcorano* opinio, ſuperſtitionem magis *Mohammedicam*, quam acumen redolet Criticum. Fateor *Alcoranum* ſtylo non invenuſto eſſe ſcriptum, ſed plures in Lingua Arabica auctores vidi, qui eum ſaltem æquant, nonnullos etiam qui ſuperant.

His diligenter lectis alios auctores punctis vocalibus deſtitutos aggredi poſſis, maxime vero ſi Latinam habeant verſionem: incipiendum eſt autem à facilioribus, quales ſunt *Evangelium Infantiæ*, *Eutychii Annales*, *Abulpharagius* &c. de quibus in ſequenti capite: operæ pretium foret, tam in hac quam in aliis linguis, quas accurate intelligere velis, te frequenter ſcribendo exercere: magis in alicujus Linguæ cognitione proficies, modo horam unam ſcribendo

dederis, quam si duas vel tres in legendo absumpseris. Exscribas itaque caput aliquod *Alcorani* sine punctis, eique puncta adscribe; quod scripsisti cum correcto *Alcorani* exemplari confer; menda corrige &c. prout in Hebraicis supra docui; nonnunquam caput aliquod *Alcorani* Latine vertas, versionem tuam apud te serves paucis diebus interpositis: ex tua versione idem caput in Linguam *Arabicam* transfer & cum *Alcorano* confer, hinc fiet ut Linguæ genium penitus percipias; eaque perquam familiariter uti, nullo negotio assuescas.

Adagia vero & Proverbia quotquot unquam in Scriptoribus *Arabum* occurrunt, in penu recondas, absque his enim sæpissime hallucinaberis; frequenter apud ipsos occurrunt Proverbia, quæ cum ad res Orientales nobis prorsus incognitas relationem habeant, difficilis admodum evadit Auctoris sensus; si itaque in hac lingua insignem aliquam peritiam adsequi cupias, adeas *Meidani* scriptoris celeberrimi Proverbia, quæ Cl. noster *Pocockius* Latine verterat & edere decreverat, quod ejus opus his studiis plurimum contulisset, at iniqua

ſors hoc commodum orbi literato invidit; neque ſcio quid de ejus verſione ſit.

Lexica quibus in his ſtudiis utendum eſt duo ſunt, *Golii* nimirum & *Giggeii*, utrumque ex Arabum Lexicographis tranſlatum; at longe diſpari ratione & methodo: *Giggeius* enim cum *Camuſum* nobiliſſimum Arabum Lexicon vertendum ſumſit, verbum verbo reddidit, nullo adhibito judicio, neque mutata methodo. Omnia eodem fere ordine quo in ſuo exemplari occurrebant, tranſcripſit & Latine vertit; unde non æque utile lectoribus evaſit ejus opus, ac fieri potuiſſet, ſi majorem conſecutus fuiſſet eruditionem & Judicium.

Golius vero, alterum Orientis Lexicographum *Al Gieuharium* nempe, vertendum ſibi propoſuit; at non authoris ſui veſtigiis adeo preſſe inſtitit, quin alios quoque, modo ita ferret occaſio, in ſubſidium vocaret: infinita ex aliis excerpſit quo Lexicon ſuum ditavit, totum vero adeo docte & methodice digeſſit, ut non tam verſio, quam ſuum opus eſſe videatur; eſt autem omnium in hoc genere abſolutiſſimum, li-

cet tamen non diffitendum eſt, multa in eo deeſſe quæ in *Giggei* Lexico reperiuntur.

Hi Duo (*Giggeius* ſc. & *Golius*) vel ſolus *Golius* aut *Caſtellus* qui eum compilavit tibi ſufficient, ſi mediocriter in hac lingua erudiri cupias; quod ſi ulterius procedere velis, & in Arabiſmi intimis penetralibus verſari; non impreſſis Auctoribus & Lexicis ſolummodo inhærendum eſt, ſed adeunda ſunt MSS. ipſos inquam *Al Firuzabadium* & *Al-Jauharium* (quorum ſingulorum extat pulcherrimum exemplar inter MSS. *Erpenianos* in Archivis Bibliothecæ publicæ Cantab.) *Zamachſharium*, alioſque innumeros, qui ad omnia quæ in hac lingua difficilia ſunt eruenda, facem præferent, & quaſi manu ducent.

Cap. XII.

De Nonnullis Arabicis Auctoribus hactenus editis.

Ne quid deeſſet, quod hujus Linguæ ulteriori cognitioni quicquam poſſit

possit conferre; visum est Catalogum Auctorum Arabicorum præcipuorum hactenus impressorum subjicere, & de eorum stylo paucis disserere.

1. *Alcoranus.* A *Muhammede* Pseudopropheta editus (cujus Æra incipit Anno Christi DCXXII.) Totus non simul prodiit; nam prout oblata fuit occasio, caput aliquod tanquam divinitus traditum, suis obtulit. ex. gr. si inter ejus sequaces orta fuisset aliqua dissensio, extemplo eos adiit *Muhammed* quasi revelatione cælitus delapsa fretus, ad compescendam litem: hoc modo scriptum est *Surato'l Anphâl*; idem de reliquis sentiendum est, quæ pro rei natæ occasione prolatæ sunt.

Non autem in unum volumen compacta sunt *Alcorani* capita, *Muhammede* adhuc superstite; *Abu Becr* vero, immediatus ejus successor veritus, ne aliqua ejus pars (continebatur enim in solutis & laceris chartis) intercideret & periret, totum in unum volumen congessit.

Scriptus autem est *Alcoranus* stylo non invenusto, utcunque *Mohammed* se vocaret نبي الامي *Nebiya'lOmmia*, i. e. *Pro-*

Prophetam ſimplicem, idiotam, illiteratum; uſus eſt omnino opera nonnullorum hujus Linguæ peritiſſimorum. Quæ de *Sergio* quodam, Monacho Hæretico fabulantur Chriſtiani nonnulli meras nugas credo, neque ulli (quod ſciam) Arabicorum auctorum teſtimonio innituntur.

Illum tamen cum Judaicæ tum etiam Chriſtianæ Religionis non fuiſſe ignarũ, cuivis facile patebit, qui *Alcoranum* ſemel inſpexerit: quem librum cum attente legam, minime mihi perſuadere poſſum, *Muhammedem* vel *Bibliorum* ope, vel cujuſvis eruditi Judæi aut Chriſtiani uſum fuiſſe; (non enim ſacras hiſtorias ita confudiſſet quivis harum rerum peritus) ſed potius quæ ex cum utriſque converſatione (cujus frequentem in peregrinationibus ſuis occaſionem habuit) hauſerat, & memoriæ infidæ commiſerat, chartis mandaſſe; niſi forſan (quod non eſt omnino improbabile) impoſtor verſutus & verſipellis, res quas probe noverat, de induſtria confundere & miſcere ſtuduerit; ne ſi *Bibliorum* veſtigiis nimis preſſe inſiſteret, majorem quam ſui intereſſet, Religioni Judaicæ vel Chri-

Christianæ, in quarum locum suam substituere decreverat, auctoritatem conciliaret.

Utcunque hoc se habuerit, (quod eruditiorum judicio permitto) à Judæis plurima sumpsisse certum est; non ea solum intelligo, quæ in Bibliis reperiuntur, sed Talmudicas etiam fabulas & historias futiles & ineptas; adeo ut quanto melius in Judæorum traditionibus & Talmude aliquis versatus sit, tanto melius verum *Alcorani* sensum eruet; sunt enim in *Alcorano* quæ Judaicas traditiones adeo redolent, ut ne ovum quidem ovo sit similius. Ex. gr. Tradunt Judæi, (refragante nihilominus S. Scriptura) *Pharaonem* cum suis minime fuisse mersum, sed singulari Dei providentia liberatum. Sic liber *de Vita & Morte Mosis*, à *Gaulmino* edita: ויבאו בני ישראל בתוך הים ביבשה ויבאו אחריהם פרעה וכל חילו וטבעו בים ולא נותר מהם איש זולתי פרעה מלך מצרים אשר נתן הוראה לאל חי ויאמן בו וכומ׳ i. e. Vertente *Gaulmino. ille* (i. e. Pharoh) *ingentibus copiis ad mare persequutus, fluctus simul cum Israele ingreditur, quos dum Judæi siccis perambulant vestigiis, totus*

Regis

Regis exercitus illis obruitur. Solus ſuperfuit Pharao, *qui demum Deo gloriam confeſſus* &c. Huic ſuaviſſime ſuccinit *Muhammedes*, qui in Capite *Jonæ* hæc habet, وجاوزنا ببني اسرايل البحر فاتبعهم فرعون وجنوده بغيا وعدوا حتى اذا ادركه الغرق قال امنت انه لا اله الا الذي امنت به بنو اسرايل وانا من المسلمين * الان وقد عصيت قبل وكنت من المفسدين * فاليوم ننجيك ببدنك لتكون لمن خلفك اية وان كاثيرا من الناس عن اياتنا لغافلون *

Quæ ſic verto. *Duximus autem Iſraelitas per mare, quos proſecutus eſt* Pharoh *cum exercitu ſuo, iis malefaciendi ſtudio: cum autem mergi periclitaretur; dixit, credo nullum eſſe Deum præter illum in quo credunt Iſraelitæ.* (Tum Deus) *etſi antehac rebellaſti, & fuiſti improbus: nihilominus hac vice eripiemus te, ut fias poſteris exemplum, plurimi enim ſigna noſtra negligunt.*

Cre-

Crebris ſcatet *Alcoranus* repetitionibus unde facilior evadit ejus lectio: nonnulla habet quæ adfectatam ſapiunt obſcuritatem (quæ inſeruiſſe videtur *Muhammedes* quo majorem inter rudes & imperitos Arabes ſibi conciliaret auctoritatem) Abbreviaturas nempe Symbolicas, quæ nonnullis ejus capitibus præfiguntur; plura item alia perquam obſcure expreſſa; de quorum explicatione nondum convenit inter Arabum interpretes. Hæc de *Alcorano* ſufficiant.

2. *Ebn Sina*, vulgo *Avicenna*: ejus magna pars *Romæ* impreſſa eſt; major tamen in libris MSS. adhuc deliteſcit: inſignis erat Medicus & Philologus & Naturalis Philoſophiæ (quatenus ferebat iſta ætas) cum primis peritus: vir indefeſſi ingenii, qui nulli labori pepercit, ut quod ſibi propoſuerat, obtineret. Dicitur ſedecim horas quotidie ſtudiis impendiſſe: ſcripſit non ſolum de re Medica; ſed Logica etiam, Phyſica & Metaphyſica tractavit. Omnia illius opera ſtylo admodum eleganti ſcripta ſunt. Illa pars quæ *Romæ* impreſſa eſt, mendis abundat: veterem Latinam hujus Auctoris verſionem mendoſiſſimam eſſe

esse cuivis facile innotescet, qui eam cum Arabico textu semel contulerit. *Fortunatus Plempius*, vir Doctissimus, Medices Professor *Lovaniensis* veteris Interpretis errores fæliciter sustulit, in prioris partis quam edidit versione. Præter illa quæ in Medicis & Philosophicis scripsit *Avicenna*, librum quoque edidit de *Resurrectione* in quo multa profert, propter quæ à *Moslemiis* pro Heterodoxo & Hæretico censetur; iste liber nunquam Arabice excusus est, at extat ejus versio in 4*to* ab *Andrea Bellunensi* edita.

3. *Elmakin*. Hic *Abu Jaafar Tabariensem* (vulgo *Tabari*) in Epitomen redegit; in qua maximi momenti actiones, plana & distincta methodo & stylo eleganti accurate complexus est: ejus historia pertingit ad Annum *Hegiræ* DXXI. id est, Christi MCXXVII. Hunc auctorem Latine vertit *Erpenius*, at non satis correcte; quod tamen illi condonare possimus; maxime si consideremus, illum primum fuisse, qui has literas, prout excoli debebant, aggressus est: nihil autem simul inventum est & perfectum. Hujus versio impressa est in 4*to*, item in *Folio* una cum Textu Arabico

bico. Textus Arabicus ſolus impreſſus eſt in 8*vo*.

4. *Sharif Ebn Edris*. Vulgo *Geographus Nubienſis*; at perperam: non enim fuit *Nubienſis*; iſte liber qui *Romæ* impreſſus eſt, quem *Gabriel Sionita* & *Joannes Heſronita* Latine verterunt, eſt ſolummodo Majoris operis Epitome. Ratio quæ *Sionitam* induxit ut crederet & affirmaret hunc auctorem eſſe *Nubienſem*, fuit, quod mendoſo quo uſus erat exemplari deceptus erat: quod ipſe deprehendi, qui duo hujus auctoris MSS. exemplaria in Bibliotheca Bodleiana contuli: nam de *Nilo* locutus Geographus hæc habet نيل مصر الذي تشقق ارضها i. e. *Nilus Ægypti qui divìdit terram ejus*. At in illo exemplari quo uſus eſt *Sionita*, ſcribitur ارضنا *Terram noſtram*; quod interpretes fefellit; exinde enim conjiciebant hunc auctorem fuiſſe *Nubienſem*, prout in Præfatione verſioni ſuæ præfixæ, ipſi affirmant.

Hujus libri ſtylus eſt facilis, conciſus & elegans; cujus lectio (modo adjungatur Latina verſio,) reliquis hiſtoricis

& Geographis legendis plurimum conferet.

5. *Abu'lpheda.* Nobilis *Hamæ* in Syria princeps, qui Geographiam summa cura & diligentia elaboravit, adjectis Longitudinum & Latitudinum tabulis. Hujus operis nihil (quod sciam) adhuc editum est, præter binas Tabulas à *Gravio* editas: totam Latine verterat *Schickardus*, at illius versio nunquam edita est.

6. *Evangelium Infantiæ.* Liber junioribus propter styli facilitatem commendandus; hunc versione eleganti & fida, & notis appositis illustravit D. *Henricus Syke* Linguæ Hebrææ apud *Cantabrigienses*, Professor ornatissimus.

7. *Eutychii Annales.* Horum nonnullam partem vertit *Seldenus*, quod Episcopos & Clerum oderat; at in versione sua sæpe lapsus est; qua data occasione, strenue eum sugillavit *Abrahamus Echellensis*, Maronita; qui licet acri judicio minime polleret, potuit tamen alienos errores melius reprehendere, quam suos corrigere.

Totos vero annales optime vertit clarissimus noster *Pocockius*, qui in hujus Linguæ cognitione, ne ipsis quidem

cessit

cessit Arabibus. Cujus laboribus plus debent Orientalium rerum studiosi quam cujusvis alius. Stylus *Eutychii* non tam accuratus & castigatus esse habetur, quam ipsorum *Muhammedanorum:* est autem simplex & facilis, & dignus qui a Tyronibus legatur; non tam propter res in eo contentas quam propter Linguam discendam.

8. *Specimen Historiæ Arabum.* Opus vere aureum *Cl. Pocockii* studio elaboratum. Vertit ibi sectionem quandam *Gregorii Abu'l Pharagii*, ubi de Sectis *Mohammedanorum* agit; unde occasionem sumit editor, de Orientalium religione, libris & moribus docte disserendi. Dignus est hic liber qui sæpius legatur, est enim quasi clavis ad quoscunque auctores Arabicos intelligendos, perquam necessaria.

9. *Gregorii Abu'l Pharagii Historia compendiosa Dynastiarum*, Latine versa & supplemento aucta per *D. Pocockium;* Hic liber bene lectus & intellectus ad reliquos auctores Orientales intelligendos portam aperiet; nec verborum copia huic auctori deest nec castigata expressio: apud Orientales sem-

per magni fiebat, cum propter ſtyli nitorem, tum quod in iis quæ tradit fide dignus habeatur, non ſolum à Chriſtianis verum etiam à *Judæis* & *Muhammedanis:* in hoc auctore maxime attendenda eſt nobiliſſima illa *Sultani Ahmedis* Mogulenſis, epiſtola ad *Sultanum Ægypti* (pag. 554.) una cum *Sultani Ægypti* reſponſo. Scriptæ enim ſunt ſtylo admodum Arabico, & notius tibi reddent inflatum illud & tumidum ſcribendi genus, quo utuntur Aſiatici, præſertim vero Principes. Operæ pretium foret has Epiſtolas memoriæ committere, proxime enim accedunt ad *Hiſtoriæ Timuri* ſtylum, de qua mox locuturus ſum.

10. *Joſephi Ægyptii Proœmia & Paraphraſis Arabica, in quatuor priorum Generalium Conciliorum Canones.* Interprete D. *Beveregio*, nunc Reverendo Epiſcopo *Aſaphenſi.*

11. *Porta Moſis*, à *Pocockio* edita; continet iſte liber *Præfationes* nonnullas *Maimonidis* in quoſdam *Talmudis* tractatus; item *Præfationem* in totum *Talmud*, Lingua quidem Arabica, at Characteribus Hebræis, (quæ à Judæis Orien-

Orientalibus, odio *Mohammedanorum* ufurpantur) verfionem addidit editor & eruditas notas, in quibus demonftrat, qualis & quantus fit Linguæ Arabicæ in interpretanda Sacra Scriptura ufus, variifque exemplis comprobat. Multa quoque profert, quæ ad Orientalium dogmata & mores illuftrandos conducunt.

12. *Philofophus Autodidactus*, à D. *Pocockio* F. Latine verfus. Hic liber mihi femper fuit in deliciis, fcribitur enim ftylo fuaviffimo & elegantiffimo; liber eft utiliffimus, in eo enim videre poffis, qualis fuerit literarum ftatus apud Arabes; qui eum fcripfit, non fuit vulgaris ingenii vir, fed in rebus Philofophicis aliifque difciplinis bene verfatus, unde jucundam adeo & elegantem pertexuit hoftoriam, ut neminem, eum legere, tædere poffit. Operam do, ut liber pulcherrimus, qui in reliquas Europæas Linguas transferri meruit, ex Arabico Anglice verfus brevi prodeat.

13. *Euclides*. Arabice verfus per *Choja Nafiroddinum Tufenfem*; *Romæ* in Folio impreffus. Floruit hic *Nafiroddinus* circa Annum Chrifti MCCLX. Tefte

Gregorio Abulpharagio qui de eo hæc habet: وفي هذا التاريخ توفي خواجا
ناصير الدين الطوسي الفلسوف
صاحب الرصد بمدينة مراغة حكيم
عظيم الشان في جميع فنون الحكمة
واجتمع اليه في الرصد جماعة من
الفضلاء المهندسين وكان تحت
حكمه جميع الاوقاف في جميع
البلاد التي تحت حكم المغول
وله تصانيف كثيرة منطقيات
وطبيعيات والاهيات واوقليدس
والمجسطي وله كتاب اخلاق
فارسي في غاية ما يكون من
الحسن جمع فيه جميع نصوص
افلاطون وارسطو في الحكمة
العملية كان يقوي اراء المتقدمين
ويحل شكوك المتاخرين
والمواخذات التي قد اوردوا
في مصنفاتهم *

Quæ

Quæ sic vertit *D. Pocokius*, *Hoc tempore diem obiit* Chojah Nasiroddinus Tusensis *Philosophus*, *qui observationes Astronomicas in urbe* Maraga *fecit*, *sapiens*, *insignis in omnibus Philosophiæ generibus*, *quem ad observationes faciendas convenit magna Geometrarum præstantissimorum multitudo*; *sub ejus arbitrio fuerunt omnes scholarum reditus in omnibus quæ sub imperio* Mogulensium *erant*, *regionibus*, *multos composuit libros Logicos*, *Physicos*, *Metaphysicos*, *nec non Euclidem & Almagestum* [*i. systema Geometricum & Astronomicum*,] *est illi liber de moribus*, *Persice scriptus summa qua fieri potuit elegantia in quo omnia Platonis & Aristotelis de sapientia practica collegit*, *sententias veterum confirmabat*, *recentiorum dubia & objectiones quas in scriptis suis attulerunt*, *solvebat*.

14. *Timuri Historia* à *D. Golio* edita. Omnium difficillima. Videtur sibi qui hunc authorem legit, nonnunquam inter rupes fragosas & senticeta versari, alias fluminis violento & rapido decursu deorsum ferri, nunc inter nubes rapi, nunc in Tartarum præcipitari, adeo varius est & nun-

quam sibi constans hujus auctoris stylus; nonnunquam adeo inflato & sublimi dicendi genere utitur ut Enthei cujusdam instar videatur; aliis in locis nude & simpliciter res gestas narrat. Frequentes in eo sunt obscuræ adlusiones, voces Poeticæ, Proverbia &c. unde fere insuperabilis exurgit legendi labor; oportet vel in Arabia natum fuisse, adeoque omnes illorum mores intellexisse, & authores legisse, vel saltem magnam ætatis partem his literis impendisse, qui hunc prout debet explicare velit. Promisit *D. Golius* Latinam versionem, quam etiam ad umbilicum perduxerat, at nescio quibus negotiis occupatus, ejus publicationem proh dolor! sero nimis distulit. Nihilominus noli exanimari, nam tametsi hunc authorem nunquam legeris, possis tamen ex aliis magis utilibus uberrimum studiorum tuorum reportare fructum.

Hi sunt authores præcipui qui in hac Lingua editi sunt, excudebat etiam *Erpenius Pentateuchum* & *Novum Testamentum Arabicum*. Extat quoque *Psalterium Arabicum Romæ* impressum Charactere nitidissimo, item quatuor *Evangelia*

gelia cum verſione Latina interlineari: alii quoque nonnulla Arabiſmi ſpecimina edidere: his lectis, vel majore eorum parte, ad libros MSS. legendos te recipias, quorum characteres ut melius & citius diſcas; compara librum MSS. cujus exemplar habes impreſſum, ſingulas voces confer, & literarum nexus diligenter obſerva; unde fiet, ut brevi tempore eam in legendis Arabicis MSS. conſequi poteris peritiam, ut æque prompte & expedite eas conſulere poſſis, ac nos Epiſtolas legimus lingua vernacula ſcriptas.

Linguæ Arabicæ pronuntiatio parum (exceptis gutturalibus) ab Anglicana differt. Accentum more noſtro in penultimam & antepenultimam fere rejiciunt, niſi occurrat una ex اوي quieſcentibus, iſta enim ſyllaba longa eſt, ac ſi eſſet circumflexa. Hoc mihi obſervaſſe videor, Orientales, تنوين ſive *Nunnationem* de qua conſule Grammaticam raro pronunciare, non enim dicunt نهارٌ *Nahâron*, ſed *Nahar:* ſic aiunt عاشقٌ و معشوقةٌ *Amans* (vir) *& ama-*

ta(mulier) *Aſhik wemeſhoùkah*, in illis vocibus quæ ة habent finalem, in nonnullis vocibus ة pronuntiatur cum *Nunnatione*, quaſi dixeris صلاةٌ *ſalâton*, *precatio*, alias abſque *Nunnatione* ut سنّة *Sunnèt*, liber traditionum, non *ſunah* & *ſonnah* quemadmodum legunt nonnulli. Alias nude tanquam *He* pronuntiatur ut معشوقة *Meſhoukah*. Hæc me primum docuit vir Reverendus D. *Luke* Linguæ Arabicæ in Academia *Cantabrigienſi* profeſſor nuperus. Non autem ad certas regulas exigi poſſunt, ſed ex obſervatione & hominum Orientalium colloquio petenda ſunt.

Cap. XIII.

De reliquis Linguis Orientalibus.

DE reliquis Linguis Orientalibus, *Perſica* nimirum, *Æthiopica*, *Arme-*

Armeniaca, *Ægyptiaca* five *Coptica*, & *Turcica* parcius loquar, quod in iis minus verfatus fim, neque tanti fiunt apud eruditos, quanti hæ de quibus fupra dixi; idcirco de his breviter.

1. *Perfica* quidem facilis eft & venufta, in qua etiam multa extant quæ ad Orientalium Hiftorias dilucidandas plurimum conferent, multi quoque *Alcorani*, non infimæ notæ interpretes. Plurimæ in hac Lingua occurrunt voces *Teutonicæ*, multæ etiam admiftæ funt *Arabicæ*, cujus Linguæ minime ignarum effe oportet, qui Perficam difcere velit. Hujus Rudimenta edidit *Ludovic. De Dieu* verum imperfecta; melior eft *Gravii* Grammatica, fed ne illa quidem fuis numeris abfoluta; nihilominus adeo facilis eft hæc Lingua ut quivis Orientalium reliquarum cognitione imbutus, & qui libros Perficos habet apud fe Latine verfos, Grammatica carere poffe videatur.

Hoc unicum eft, quod in hujus Linguæ ftudio ægre fero, nempe quod defit fatis completum & abfolutum Lexicon. Illud enim quod edidit D. *Caftellus*, minime fufficit, licet in eo conficiendo

ficiendo multum desudarit vir optimus: adeundi sunt Orientales Lexicographi, & *Pharhangh* sive Lexica de quibus loquitur D. *Hyde* p. 422. *Histor. Relig. Vet. Persarum.* Interim quoniam his subsidiis adhuc destituimur, utenda sunt quæ habemus, speranda reliqua. Præter hos autem quos memini, sunt etiam alia ex Idiomate Persico in Latinum versa; ea nempe quæ sequuntur.

1. *Evangelia Persica* à D. *Wheloco* harum literarum peritissimo, Latine versa & notis illustrata; opus suum nondum absolverat, cum diem supremum obiret. Postea vero sub auspiciis *Thomæ Adams* Equitis Aurati, & de harum literarum studiosis bene meriti in lucem prodiit.

2. *Pentateuchus Persicus Tawusi.* Characteribus Hebræis *Constantinopoli* à Judæis primum impressus, postea in Bibliis nostris Polyglottis, Charactere Persico, cum versione Latina recusus.

3. *Ulug Beig Tabulæ Astronomicæ.* per D. *Hyde* Latine Versæ.

4. —— *Epochæ celebriores*, Editore *Joanne Gravio.*

5. *Astronomica quædam ex traditione Shah*

Shah Cholgii Persæ, eodem interprete, una cum *Anonymo Persa de Siglis Arabum & Persarum Astronomicis.*

6. *Historia Christi*, Auctore *Hieronymo Xavier* missionario, quam unà cùm *Historia Petri* (ejusdem ut videtur auctoris) Latine vertit *Ludovic. De Dieu.*

7. *Rosarium Persicum* interprete *Georgio Gentio.*

8. *Levini Warneri Proverbia Persica.*

9. *Historia Religionis Veterum Persarum*, auctore *D. Hyde* Linguæ Persicæ peritissimo, in qua multa occurrunt excerpta ex Persicis auctoribus Latine versa, præterea *Magorum liber SADDER* Latine quidem versus at sine Textu Persico.

10. Liber *Muraccabât* sive *Dispensatorium Persicum ab Angelo à S. Josepho* Latine versus, qui videtur quidem Linguæ Persice non fuisse ignarus, hoc tamen minime prætereundum est, eum convitiandi studio abreptum, in Præfatione sua ineptissime & nulla oblata occasione digressum fuisse, ut *Briano Waltono*, *Thomæ Gravio*, *& Samueli Clerico* viris summis, & de repub. literaria & Christiana optime meritis, obloque-

queretur. Mire ſiquidem indignatur, quod illi Bibliorum Polyglottorum curatores doctiſſimi, verſionem Evangeliorū Perſicam imprimerent, in qua occurrit جان پاك *Tchân Pêk anima pura* pro روح القدوس *Rouhhô'l kodous, Spiritu Sancto*, Hinc occaſionem ſumit de Editorum memoria male merendi; conſideraſſe debuit, illam culpam non fuiſſe Editorum, ſed *Paraphraſtis Perſæ*; noſtri autem nondum eam ſibi auctoritatem arrogarunt, ut aliena vineta expurgatoria falce cædere ſibi permittant; religioni potius ducunt, ſua verba, eorum loco quæ ſcripſit auctor interponere. At forte culpandi ſunt quod malam verſionem edere voluerunt! Profecto, quod potuere præſtiterunt; ſi meliorem verſionem habuiſſent, omni procul dubio edidiſſent, quod cum non haberent, videbantur ſibi Linguæ Perſicæ ſtudioſis nec inutilem nec injucundam operam fore navaturos, ſi iſtam verſionem imprimi curarent. Quod & fecerunt. Debet autem *Eccleſia Anglicana* Deo ſempiternas agere gratias, & ſibi quam maxime gratulari quod in mediis affli-

ctiſſimæ

ctiſſimæ Inſulæ miſeriis, nebulonibus & Regicidis rerum potientibus, veraque Religione & pietate exulante, tantos viros habuerit, qui ad opus illud arduum aggrediendum animos ſumere auſi ſunt, & incredibili diligentia ad umbilicum perducere. Hoc ad calumnias amoliendas dictum eſto. Hæc vero de Lingua Perſica ſufficient.

In *Turcica* Lingua ſcripta ſunt multa Religionem *Muhammedicam* ſpectantia, nonnullæ etiam Hiſtoriæ, Ad hanc diſcendam comparandi ſunt qui ſequuntur auctores.

1. *Seamanni Grammatica Turcica.*

2. -- *Novum Teſtamentum Turcice verſum.*

3. —— *Catechiſmus Turcicus.*

4. *Bernardo da Parigi Vocabolario Italiano-Turcheſco.*

5. *Franciſci à Meſgnien Meninski Theſaurus Linguarum Orientalium.* 4 vol. Fol. impreſs. *Viennæ.*

Lingua *Æthiopica* non multa continet quæ Reip. literariæ multum conferre poſſint; non enim iſta gens humanioribus diſciplinis incumbit; habemus in hac Lingua *Pſalmos* & *Evangelia*; & in

in libris MSS. *Liturgias* quaſdam &c. Præcipuus hujus Linguæ uſus eſt, quod in interpretanda S. Scriptura, vocum Hebræarum & Arabicarum ſignificationes ſæpe ex illa petantur; ex. gr. ملاك *Mal-âk Angelus* non derivatur ab Arabico ملك *Malaka poſſedit*, *Dominatus eſt &c.* (non enim iſtæ ſignificationes congruunt,) ſed ab Æthiopico *Layka*, *miſit*, *legavit*. Sic in *Alcorano* Apoſtoli vocantur حواري *Hhawwâri*, cujus vocis originem in Lexicis Arabicis fruſtra quæras, derivatur autem ab Æthiopico *Hawyra ivit*, *inceſſit*, quod Apoſtoli proprium eſt. In hac voce *Ludolphus*. *Nota hic*, *Originem Arabici* حواري *nuſpiam alibi quærendam quam in hac noſtra Lingua.* Debet qui huic Linguæ operam dare inſtituit, *Arabicæ* peritum eſſe, tanta enim eſt inter has cognatio, ut quot Arabicas voces didiceris, tot fere Æthiopicas diſces. Ut quæ *Poſtellus*, *Potkenius & Wemmerus* de hac Lingua dixerunt, vel in ea præſtiterunt omittam, omnibus in hac materia palmam præripuit Doctiſſimus *Ludolphus*, cujus *Lexicon* & *Grammatica Æthiopica* (omnium Orientalium

lium teste D. *Castello* optima) & *Historia Æthiopica*, de his ulterius inquirenti, abunde satisfacient.

Lingua *Coptica* sive *Ægyptiaca* conflatur ex Antiqua *Ægyptiaca*, *Arabica*, & *Græca*. Prodromum *Coptum* edidit *Athanasius Kircherus* & *Scalam magnam* sive Lexicon, noli tamen ipsi fidem habere, fuit enim homo inaccuratus, & in omnibus fere quæ edidit, singularem prodidit incuriam; extat in Bibliotheca *Bodleiana* MS. Novi Testamenti *Copticum* cum versione Arabica ad latus. Hunc librum si quis legere velit, possit ope versionis Arabicæ Textum Coptum explicare & *Grammaticam* & *Lexicon* sibi componere.

Armenicæ Linguæ institutiones Grammaticas & Logicas edidit *Clemens Galenus Romæ*. 4to. Ubi etiam impressa sunt *Biblia Armenica*: & *Catechismus*. *Dictionarium Armeno-Latinum* impressum est Parisiis: magnam Anglicæ nostræ partem ex Lingua *Armena* fluxisse affirmat *D. Bernardus* Oxoniensis; hanc Linguam si discere velis præter hos quos recensui libros, alios MSS. & impressos suppeditabunt Bibliothecæ; possis eti-

am *Armenum* conducere (multi enim ſunt *Londini*) qui veram literarum pronuntiationem, & ſcribendi rationem docebit.

* تم الكتاب والحمد لله *

INDEX *Auctorum tam illorum quorum in hoc libello mentionem fecimus, quam aliorum qui harum rerum ſtudioſis uſui eſſe poſſint.*

G

H.

I.

K.

L.

Leo

FINIS.